





Ex Libris Fris Jacobi Katerkmenz
Augusty I. T. Z. Confessoris et Conv
natoris in Conventu Cracoviensi
primo quando hic Liber dono datus est
ab Authore ejusdem.


SCRUTINIUM
VITÆ INTAMINATÆ, ELECTÆ IN MATREM DEI,
AVGVSTISSIMÆ CÆLORVM IMPERATRICIS
MARIÆ,
Sive
ELOGIA MARIANA,

Seriem Vitæ Deiparæ & Festorum ejus, in Ecclesia Christi frequentari solitorum.
Demum Odigitriæ Imaginis in Monte Częstochoviensi, Miraculis clarissimo, insignes gratias complectentia,
Votivo Calamo
EXARATA.
Per


R. P. DIONYSIUM CHEŁSTOWSKI, Ordinis FF. Eremitarum S. PAVLI P. E. Sacræ Tbliæ Doctorem, Definitorem Prov: Polonæ, Clari Montis Częstochoviensis Priorem.

Cum Privilegio S.R. M. & licentia Superiorum.

Typis Clari Montis Częstochoviensis, A. D. 1710.



Si Cælum Te vocem, altior es, si Matrem Gentium, præcedis; Si Dominam Angelorum, esse comprobaris. Quid ergo dignè de Te dicam? Si formam DEI Te appellem, digna existis. S. August. ser. 33. de B. M.



CELSISSIMO
ac
REVERENDISSIMO
PRINCIPI.
DOMINO,
D. STANISLAO
in SŁUPOW
SZEMBEK
DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,
LEGATO NATO,
REGNI POLONIÆ, & MAGNI DUCATUS
LITHUANIÆ
PRIMATI
PRIMOQUE PRINCIPI.

Domino Domino Patrono, Benefactori Clementissimo.

In Peraugustum Stemma
CELSISSIMI PRINCIPIS.



Æstibus ignivomis dum flagrat Clima Polonum,
Pandunt Præsulea tempe serena ROSÆ.
Sarmata nè timeas rigidi jam lustra Gradivi,
Fulget ab Augustis Pax Pietasq; ROSIS.
Vt Patriæ servet PRIMAS PRINCEPSq; salutem,
Victima sit populi, bina Capella: jubet.

CELSISSIME PRINCEPS



Vdax calami mei ſtylus Te poplite inflexo ſuũ invenit STANISLAVM. Rupem Montis Mariani, ipſo Perauguſti Nominis Tui Etymo in novam conſecraſti Rupellam; ut ibi, diſmembratum Inclyti Regni Corpus componeres. Vices Aquilæ ſolus agis, partes ſciſſas colligis, & à Sereniſſimo Titane nunquam

oculum avertis. Fatale Regnì incendium, magnâ animi extinguis prudentiâ, acsi ex Gentilitio ROSÆ Tuæ flore, extinctor Florianus esses. Etsi in alieno Solo invida degere Te jusserunt fata, nec unicum tamen Tibi sterile momentum erat, ubi & ipsa Avita ROSA Tua in centum folia se eviscerare visa; acsi notare vellet insignem doloris Tui de jacturâ Patriæ pressuram. Ad alienos Te transtuleras, sed non animum, quem non alio occupabas studio, nisi prodesse Patriæ. Non ita exteris animus Tuus identificatus fuit, quin corde Paterno, afflicto non adesses Regno. Locum extra Patriam capessere videbaris, cum tamen mens Tua de Bono Publico sollicita ubicari in terrâ alienâ non poterat, quin Te totum Patriæ dares. Ipsum CAPRICORNI Tui lucidissimum sydus etsi alieno fixum erat in cælo; Regni tamen Poloni Zodiacum, quem densa armorum circumdabat nubes; Lucis suæ radio ab atris vindicare non omisit umbris. Dignum certe Astris

te Astris, Tui CAPRICORNI Sydus, in quo Serenissimi stant firmiter Soles. Novum erigis in Polo Lechico Firmamentum; dum Tuo Cælesti Signo, in tranquillitatem, quæ firmat Regna influis. Investivit Primatiales Tuas manus Cæleste Numen, Sacratiori quàm Iacob vellere, ut in Tua dextera, Benedictionis involveret dona. Minantur alij manûs pugillo, acsi trisulco tonare vellent fulmine: solà Tua Sacra dextera Benedictionibus plena: non fulmina, sed casti Consilij flumina effundit in Patriam. Per Rupes & saxa veloci passu currunt Tui IBICES: nihilq; pro metâ à Te præfixum habent, nisi Bonum Pacis. Moram odit innata Tua in omnibus velocitas, ubi de salute Patriæ agitur. Gloriosum olim erat in Fabio, cunctando Rempublicam sanare: Tibi nimis amarum esset, si uno momento deesses; ubi de medelâ Patriæ sanum à Te expectatur consilium. Primum Te PRINCIPEM in Regno, Divina fecêre oracula; sed Te experitur

peritur Senatus, Populusq; Polonus in rebus pro pace publicâ gerendis, simul & Felicianum. Nemo Te præire potest, ad ea quæ sunt Pacis; cum Tui Gentilitij IBICES prima terunt vestigia, ostenduntq; viam, quâ sit eundum. In PRIMATEM Orbis Poloni Augusta Te assumpsit dextera, & quàmprimum in Primatiale excrevisti Culmen; illicò optimam messem Bono publico AVGVSTI temporibus protulisti. Nemo motos fluctus componere in turbido Regno faciliùs poterit, quàm Tu: cujus Sacro STANISLAI Nomini, aquæ quondam obedientes perviæ fuerunt. Coronatorem Regum Divinus Te insignivit calculus, ut enim semper floridum foret diadema Regium, ROSEIS Tuis manibus id committi debuit. Spinosus hactenus, & armorum puncturis stratus erat nidus Gnesnensis, delicatæ Polonæ Alitis nimis incõmodus, qui eam per varias volitare adegit oras: iam tamen vagabunda ad se redire incipit Aquila; dum ROSAS pulchre compositas,

in suo

in ſuo reperit nidulo. *Fulcite me Floribus*, ArchiPræſulea non ſemel ſuſpirabat Diœceſis, cælorumq; implorabat clementiam; vt pluerent Iuſtum. Coronârunt Superi deſideria gementis Eccleſiæ, & pro fulcro ejus Reginam florum ROSAM providerunt. Munificum hinc metiri liceat PRINCIPEM nostrum: vnicam, in coronamentum magnorum meritorũ eius datGneſna D. ADALBERTI Roſam; ille trinam pro unâ, cum fænore reddit. Novum ROSARVM jam habes ex Principe Gnezna Seminarium; ſummâ pietate in Deum, zelo ferventi pro aris, vivô exemplo Cleri, normâ ſanctioris vitæ, Iuſtitiæ æquanimitate ſatum: ex quo dulcem fructum colliges. Si aliquando invida fata; crudo dilemmate arietare præſumpſerint Sanctuarium Dei; amodo iam ſilebunt hæc inimica tela ſub PRINCIPE CELSISSIMO: quem in PropugnaculumEccleſiæ, Divinâ vocârunt oraculâ. Non ſine cordis jubilo, Te ILLVSTRISSIMI CapituliGneſnenſis

 expe-

expectat Conclave: feliciorem habituri Zephyrum, si Te suis PRINCIPEM ad portum Cathedræ vehant remis. Addet pondus Sacro D. ADALBERTI corpori: PRINCEPS noster, cujus summa Dignitatis Gravitas, non sine magno valore. Sub Tuum Pastorale Pedum PRINCEPS Clementissime, inclinata Ordinis nostri Palma, in novũ gloriæ Tuæ se explicat folium; ut, quam in Archidiæcesaneis Monasterijs nostris, Tibi subiectis: Pastorali manutenes Beneficio, sub umbrâ alarum Tuarũ ultra in Tui crescere permittas obsequium. Elevatus Miraculis Marianis Mons Clarus: assurgit altiùs, in quo magnum Beneficiorum reposuisti cumulum. Sub Dionysiensi adhuc Infulâ, cui Sacrum concesseras Caput; in sudore vultûs Tui, licet magnis fessus laboribus, proprijs nihil parcens viribus, Regali Sacerdotio multoties coronam Fratrum nostrorum initiasti. Ad Aras usq; perennabit memoria Tua PRINCEPS CELSISSIME, quas in Monte Claro Consecrasti; ipsiq;

Porta-

Portatiles Nomen Tuum portabunt Lapides, & clamabunt, ut Tibi specialis ex Incruento cedat Sacrificio fructus. Modernis pressus calamitatibus Mons Sacer, nisi Tuâ PRIMATIALI relevaretur dextera, in infimam decrescere cogeretur vallem. Nec unicum prætermisit PRINCEPS noster momentum, quo contra militares scopulos Ahæneo se non opponeret pectore. Non permisisti, ut Patrimonium Marianum devoraret Locusta; mitescebatq; rigidus Martis calculus, solâ Nominis Tui perterritus famâ. Criticos planè dies viximus; sed post vestigia pedum tuorum in Montem Clarum, aureum nobis advenisse tecum experti sumus sæculum. Diuturniorem darent Superi in Monte Sacro PRINCIPIS CELSISSIMI permanentiam; cuius dicta, oracula sunt: facta eius Divinum quid spirant, Sanctimonia vitæ, cum dignitatis fastigio fæderata: Humilitas cum Celsitudinis Excellentiâ coniuncta. Ipsi Poloni Regni Fasces, ultrò se in Tuam CELSISSIMAM invitant Do-

mum

mum, ut honorentur. Signatura Regni in manibus Magni Ministri SZEMBEK: Signum est toti Lechico placens Orbi. Senatoriæ quoq; Curules, & exinde censendæ sunt gloriosiores, quod in eis ILLVSTRISSIMA SZEMBEKORVM Capita, ROSAS loquantur. Non postremam felicitatis Portionem, Polono Orbi affert & Dapiferatus Regni, Domûs CELSISSIMÆ Vestræ Ministerium: cuius dignitate dulcescit amarus Patriæ status. Desunt iam verba laudis, deficit stylus calami, præ magnitudine CELSISSIMI Nominis Tui: en Mariana adfero Elogia. Laudet Te Sacra Parens: in cuius laudibus & Tu, dies, noctesq; insumis. Admitte innatâ benevolentiâ SCRVTINIVM Electæ in Matrē DEI, IMPERATRICIS CÆLORVM MARIÆ, ut Tibi soli PRINCIPI Clementissimo pateat. Comitetur CELSITVDINEM Vestram Diva Genitrix, & uti Arcanorum DEI compos, Magni Consilii cursum dirigat & perficiat. In Votivis aureis

tábu-

tabulis, quas decori Mariano appendisti Vnicum Tibi Deipara proficiscenti, adscribat Jota; ut gloriosus semper vivas Pastor & Pater Patriæ nunquàm occumbas, Montique Claro Protectione Primatiali semper fulgeas

Ita precatur

CELSITVDINI VESTRÆ

Infimus Cliens
& Indignus Exorator.
Fr. Dionysius Chełstowski, S.T.D. Def.
Prov. Pol. Prior C M.C.



FACVLTAS
Admodùm Rn̄di Patris Provincialis.

ELogia in laudem D. Virginis Matris â R: P. Fre Dionysio Chełstowski, Ord. noſtri, S.T.D. Prov. Polonæ Definitore, Clari Montis Częſtochovienſis Priore conſcripta, atq; à deputatis Patribus noſtris lecta & approbata, typis mandari (ſi ijs ad quos pertinet videbitur) concedimus. Datum in Conventu Noſtro ClariMontis Częſtochovienſis, Anno ſalutis 1709. Die vero 26. Menſis Septembris.

Fr. Conſtantinus Provincialis mp.






APPROBATIO
RR. PP. S. Thliæ Doctorum.

EX mandato Adm. Rñdi Patris Provincialis, Elogia hæc in laudem D. Virginis Matris, à Rñdo P. Fre Dionysio Chełstowski Ord. nostri ProthoEremitici S. T. D. Provinciæ Polonæ Definitore, necnon ClariMontis Częstochoviensis pro tunc Priore, ingeniosè concinnata, cum singulari animi gustu attentè perlegimus, nihilq; in ijs Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus contrarium reperimus, sed multam eruditionem conceptusq; præclaros, doctis omnibus placituros, imò & Verbi Dei Præconibus deservituros. Quarè publicâ luce dignissima judicavimus. In ClaroMonte Częstochoviesi Die 18. Septembris A.D.1709.

Fr. Adamus Graczyński Ord. S.Pauli
P.E. S.T.D. mp.
Fr. Augustinus Widz, S.T. D.
mp.





APPROBATIO CENSORIS.

ELogia, Honori, Immaculatæ Conceptionis, Summæq; aliorum Matris Dei Mysteriorum, Gloriæ, dicata, à Rñdo Patre Dionysio Chełstowski, S. Theolog. Doctore, Ord. Eremitarum D. PAVLI per Polonam Provinciam Definitore, Clari Montis Częstochoviensis Priore: devoto, ac erudito labore conscripta, legi, dignaq; adinveni & approbavi, quæ propter Sanctissimæ Virginis Gratiarum magnitudinem, omni ubiq; pietate celebrandam, typo imprimantur. Datum in Maiori Collegio Vniversitatis Cracoviensis, Die 16. Mensis Decembris A.D. 1709.

M. Petrus Praczlewic S.T.D. & Professor,
Canon. Cath: Crac. & in eadem Diæcesi Librorum Censor. mp.





ELOGIVM I.

CONCEPTIO VIRGINIS.

Silete infernales Neniæ,
ubi,
primã vitæ Marianæ Organizationem
Cantica Canticorum ludunt,
Sed,
Sine nota.
Fistulam ex costa Adæ finxerat DEVS
vt modularetur coniugio Evæ.
Quam paulò post,
Serpentinus inflavit Sibilus,
Vt mentito, par turturũ Paradysi, irretiret sono.
Sola & vnica Phænix
M A R I A,
superbũ ab auribus retrusit susurrum

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant: 4.

Ædificavit Dñus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem. Gen. 2.

Turturum nomine coniuges primi notantur

Dixit autem ſerpens ad mulierem, in quocunq; die comederitis eritis ſicut Dij. Gen. 3. *Eiecit Adam & collocavit ante Paradyſum voluptatis.* ibidem.

nè fraudulento, pennatorum more
implicaretur aucupio.
Intoxicatum *Capitalis* gula
ſvaſerat pomum,
quod ſaluti magis obfuiſſet :
niſi Dominus eiectionem paradyſo
præſcripſiſſet.
Hic tamen bolus,
Mariano admotus conceptui
Virus evomere non potuit
quia gemmam ſenſit.
In gyrum ſe contorquet & conglobat ſerpens.
Sphæræ Mathematicæ ſpeciem præſeferens,
vt figuram ab aſtris petitam
novo fætui erigeret ;

Signum Zodiaci.

ſed poſtquam Sol ſtetiſſet
in ſigno Virginis,
Magicum ſerpentis evanuit aruſpicium.

Corpus Sphæricum planū non tangit niſi in puncto. docet Phil.

Sphærā ex ſua tortuoſitate compoſuit
Ratus ſecundùm dogmata Philoſophi
in puncto Conceptionis
planam innocentiā contingere poſſe.
Verum

Verumtamen ex plano naturæ
ad ordinem gratiæ
elevata Virgo,
extra ſphæram erat activitatis eius.
Inſolitâ activitate ſciendi,
Primores pellecti,
acſi non eſſet ſatis,
Præceptis primæ tabulæ addiſcendis
ſedulam navare operam.
Sola Virgo in hac facultate
proficere noluit,
Cui
ſatis erat ſcire,
neſcire peccare.
Primitias vitæ Marianæ,
ipſe celebravit DEVS.
Et nè dolore Capitis laboraret,
impoſuit manus.
Scintillam vitæ Marianæ,
abſit nigro notari carbone,
Scintilla hæc incenſum Aris dabit.
Naturalẽ capacitatẽ primo Deus dederat Capiti

Eritis ſcientes bonum & malum.

Super ægros manus imponent & bene habebunt.

Adam primũ generis huma ni Caput in quo omnium voluntates in clusæ erant.

Et tamen
Conceptum Virginis, capere non potuit.
à Damasceno procul fuit luto,
nè hæsisset.
Massam Damascenæ non novit Virgo argillæ:
Quia Vas honoris esse debebat.

Formavit Deus hominem de limo terræ Genes. 1.

Figulinam Supremum Numen,
Adamum docuit artem,
Et
nè Figulus Figulum odio haberet,
in hac officina Virginem esse noluit.
Tygris pleno paradysum alluit alveo.

Fluvius Paradysi.

Hæc tamen tempestas
Marianum non tetigit sinum:
quia
Extra marginem Paradysi fuit.
Frustra turbidã Tygris effundere conatur spumã
in MARIAM,
ubi cæcitas oculorum non est,
Spumæ medelâ non habetur opus.

Christus sanabat cæcitatem oculorũ salivâ oris.

Tempestuosos Paradysꝰ cõmovit fluctꝰ
Nihil tamen hic motus Sacræ nocuit Syreni,
quæ tonum vitæ à cantu incipit.
In

In thermis paradysi Cōcipi nō debuit,
quia
Sine macula fuit.

Toxica nondum ullas implerant Colchica valles **Bidermanus.**
Vulgarantq́ꝫ suam, nulla venena luem.
Tractus ab irato cum deniq́ꝫ Cerberus orco
Virus in humanas intulit omne plagas
Quippe venenato vomitu simul imbuit orbem
Infectum genuit, mille venena solum.
Inde luem pecorum primi sensêre coloni
Et festinatas, rustica turba neces,
Ille ubi lethifero maculavit sidera fastu.
Imbuit áb nostros hâc quoq́ꝫ peste sinus.
Serpere mox cæpit, mentesq́ꝫ repente per omnes
Grassari miseris plurima noxa modis.
Hinc inimica furunt alternis jurgia rixis,
Lingua venenatas hinc mala torquet acus.

hæc Tamen
malorum pestis, **Medela contra peccatū originale.**
nè innocentem fætido infecisset apostemate
Virginem,
cum custodiâ præservantem
Deus dedit Gratiam.

ELOGIVM II.

NATIVITAS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Liber Generationis Avos Abavos continens.

QVid prodeſt antiquā majorum
texere ſeriem,
& copiâ ſanguinis
implere Gratiarum mare.
Si culpam non novit,
Non eget etiam Baptiſmo ſangvinis.
Vetuſtos Patrum,
quid juvat effodere cineres,
ſi mare mortuum non eſt MARIA.
Cum mortalitatis exuvijs nihil cōmune habet.

Sacramentū Pænitentiæ veteris teſtamenti.

Legali cinere tinctus
olim eluebat piaculum animi,
hoc tamen propitiatorij genus,
in ſteriles,
per Legem Gratiæ jam redactum pulveres,
vim paciſcendi cum Deo non habet.

Quin

Quin imò:
ignivoma cinerum Vulcania
accēdit quā extinguit magis fomitē.
Adeste tamen majorum ceræ.
Et
ad Marianum vos inflectite ortum.
Ligatus infantilib9 fascijs manipul9
extra somnium
pullulat in cunis.
Quem
nemo demissius adorare novit
præterquam Seminarium Patrum.
Falcatum Augusti Mensem (it
ad primordia vitæ Virgo habere nolu-
In hac enim intaminatæ œconomia vitæ,
Nec mica erat
vbi pænalis opus esset *Tmesis.*
Inter decidua Autumni folia
nasci ei placuit.
Quia
In Virgine quod notari deberet,
non erat.

Rosam

Somnium Ioseph accomodatum Nativitati Mariæ

In Augusto nō nascitur.

Tempus Nativitatis Mariæ

Roſam pluſquam pæſtanam
è cunis prodire, miraculum eſt,
In Autumno náſcitur.
Sed
quod effœti temporis vices hic elegerit partus,
ſtat pro ratione voluntas,
Né daretur campus vicino ſpinarum germini.
Poſt excuſſos Cereris culmos
& decapitatos granorum ordines
jam vinctas dare manus
Campidux paratus Autumnus,
Poſt congregatam in horea meſſem naſcitur.
& ecce
Vt caſtrorum acies ordinata
fert ſuppetias MARIA.
Frumentariam ſalvans cohortem
Semen *Verbi concipiet*,
vt de pinguedine terræ
ſæcula triumphent.
Ex parnaſſi montibus,
fabuloſi Poëtæ petebant Gratias
quæ interdùm parturiebant
Zoili odium.
Extra fabulam,
ſola

ſola Virgo ſtatum gratiæ, domi habuit.

Curationū gratiam dono dat alijs
Cæleſte Numen,
In domo Annæ
gratiam lingvarum accepit Maria,
quia Verbi Parens futura.

Anna, Mater Mariæ interpretatur gratia.

Incluſit Deus in Annæ vocabulo gratiam.
quæ ita ſe communicavit Filiæ,
ut repeteret augmentum
in Nepote.
Non ſine admirationis notâ
A cunis Marianis recede calame;
Iam plena gratiâ
Et nondum ætate matura.
Ita eſt,
Excelſæ mentes cum virtute naſcuntur,
non longo diſcunt magiſterio,
ut bonæ ſint,
Neq; *Creſcunt per incremēta* in adultæ gloriæ maturitatē
Quorum *genethlia ſtatim fatis ſuffi unt*
Lento paſſu trahuntaliquādo imbecilles animi
ad rectitudinis orbitam
ſed *excellentis naturæ partus*

 Inſtan-

Instãtancè rapitur ad ea quæ recta sunt,
nec sensim ac lente promit indiciũ boni
ita
ut ipsa involucra infantiæ rumpat ingenium

ELOGIVM III.

NOMEN
B. MARIÆ VIRGINIS.

Canticorũ 1. Oleum effusum Nomen Mariæ.


Leum & operam inveni
in Nomine MARIÆ.
Premebat sacra fames honoris
Mariani calamum,
sed
pinguedine Nominis, iam fit satur.
Rem sacram tractandam vovit,
& ideo,
primus unctus oleo, esse debuit.
Magna ubertas
Ex Virgine speranda,
Si,
tanta in viridi pingvedo Nominis.
Laborat extremis æger calamus,
Cui

Pinguis gleba copiosum fructũ affert.

Cui
extremam pingue Nomen
offert Vnctionem;
ut
totum in laudes Mariæ
effundat Spiritum.
Sacramentum magnum eſt
Nomen MARIA,
Sacra continet Olea,
ut diſponat.
Obſcurum nomen erat Veſtalium,
Etſi
Sacrato Deorum igni
aſſidebant quaſi Salamandræ
at
Sereniſſimum MARIÆ Etymon eſt,
quia
lampadis inſtar
de oleo Nominis
in perpetuas lucebit æternitates.
Prudentem Virginem

Alluditur ad Virgines veſtales dictas quæ templi fovebant cõtinuo ignem.

Prudens Virgo MARIA.

mea adora penna,
in cuius Nomine
non deficiet oleum.
Glorificata Beatorum Nomina
Etsi
Diffusam in Cælesti Gloria
teneant gratiam,
attamen,
Mariani Nominis supernatat oleum.
Ne aliquandò,
Samaritano
sua deesset medela,
Pro Ierichuntino saucio curando;
in Nomine MARIÆ
medicinale adest oleum.
Regalis Maiestas Nominis,
nè
sinè solita foret Vnctione,
ipso sui Nominis
Consecratur Oleo.
Totum Oceanum
No-

Magna sunt in cælis Nomina Sanctorum sed maximum MARIÆ.

Samaritanus oleo curat vulneratum. Luc. 10.

Reges dum coronantur unguntur oleo.

Maria mare.

Nomen MARIÆ exhausit,
nè tamen calamo
in hác abysso Nominis
mergi contingat,
secundam ante naufragium
arripit tabulam.
Placet in hoc Nomine
laxare rete,
Sed
o quam prædives piscatura!
In pelago Nominis
non nisi gemmæ capi possunt.
Odit Remoras
divinum Mare MARIA
quia
in Refugium
Oraculo cælesti destinata.
Nullum procellosum motũ patitur,
Cui,
non fabulosus præsidet Neptunus,
Sed

Secunda tabula vocatur Pænitentia.

In verbo tuo id est in Nomine laxabo rete. Lucæ 5.

Remora piscis marinus.

Pallas Dea Scholæ.

Spiritus Domini qui ferebatur super aquas·
Doctum Palladis Nomen,
Si
ſine caſu eſſe velit,
Hîc
quid eſt nomen, diſcat.

Maria Verbi Parens.

Declinare tantum Nomen caveto,
Scito enim,
Iam modo VERBI Partis eſſe.

ELOGIVM IV

PRÆSENTATIO B. MARIÆ VIRGINIS.

Ad Eccleſiam vadit.

Iu humi ſerpere
more infantum non debuit,
Cui
Terræ Sanctæ Elementũ portandũ erit
Linquit fidos Parentũ manes,
ut Incolam cæli,
Etiam ſub Paternis inquilinum haberet tectis.
Mutat polum Cynoſura,
nè

fixum

fixum domi sidus putaretur.
Triennem vitæ cursum,
ad sacra limina conficit,
ubi:
ad primam apertionem Portæ,
Annum gratiæ obtinuit:
Et novum Indulgentiæ favorem
ut lucraretur,
Visitationem Ecclesiæ sibi imponendam
in animo duxit.
Egenas & vacuas Templi Mosaici Aras
ut locupletaret,
Beneficium affiliare spopondit.
Et
nè nova Sanctuarij planta
sine dote foret,
Pretium sanguinis futurum
de bonis Filij levandum vovit.
Ibi,
Votorum vinculis se liberè innodavit
citiùs in hæc ut vincula incidisset
promissa ab alto magnarum alarum
AQVI-

Tertiò vitæ anno præsentat se Deo.

Magnum Iubileum ex adventu Mariæ in templum.

Conditio Iubilæi.

Incarnatio maximum beneficium.

Votum perpetuæ Virginitatis emisit.

Filius Dei in abſcondito ſemper manebat.

AQVILA.

Abſtruſum licet cubiculi inhabitare angulum,
Et
profundos ab aſpectu vulgi
quærere conſveverat receſſus,
Præſentari tamen cogitur,
Quia
Paternæ Dexteræ indigitatur Spiritu.
Celari tantum miraculum mundi potuiſſet,
niſi
plurimos proditores ſui habuiſſet.

Humilitas Virginem prodebat

Infimos humilitatis actus
non ſemel ad terram alliſit,
ut collapſa in faciem terræ,
De Virgine fateri nil auderet.
Sed
ab ictu terræ reſiliens virtus
pleno ore detonabat.

Gravitas morum Virginem deprædicabat.

Gravitas morum, ſic puerilem temperabat inceſſum,
Et
Maturô tenellos artus regebat geſtu
ut
In externa venuſti Corporis Æthopæia
veluti

veluti in ſpeculo
Divinus ineſſe crederetur genius.
Oculorum,
Etſi umbella palpebræ tectorum
ſe ſolam prodit Maieſtas:
nam
In quos figuntur,
perorant
ut perſvadeant, vel imperent:
Quaſi magis ad loquendum nati,
pro lingua
Pupillæ dictamine uſi.
Index enim arcanorum, oculus eſt,
ut
quidquid in camera cordis lateat,
manifeſtet.
Columbarum oculi
Non ſine myſterio in Virgine dicti,
nam hi veluti nuntij pacis,
Ramum afferent olivæ.
Tuba canunt alij,

Venuſtas oculorum Virginem commendabat.

Cantic.

ut se publico vendant rumori,
sola Virgo tacet
Et tacendo in apricum prodit.
Præsentant itaq; Genitores Partum,
ut
de primogenitura victimā Deo soluāt

D. Alcimus lib ad sororem.

Nulla Deo siquidem est acceptior hostia quam quæ,
Immaculata sibi primis offertur in annis.
Sic quondam, cum prima, novo splendesceret ortu,
Terra nitens, pulchrasq; darent sua semina fruges
Viventem ducens ad sancta altaria fætum,
Innocuum placuisse Deo balantibus Agnum.
Insinuante Deo iustus cognoverat Abel,
Cum capite oblato, placet grex unus ab uno.

speciosa victima quia rationabilis.

Animalem veteres Deo,
cremabant hostiam,
differre debuit specie,
Virginis holocaustum,
quia
rationabile obsequium,
in oblationem vovit.

Anna in senectute fœcunda.

Anna ab annis dicta
non præcocem præsentat fructum;
quia

Æter-

Æternitatem ipſam,
in tempore pariturum.
Poma enim cito decidunt,
& in mala degenerant,
Si
nimis celeri naturæ impulſu,
in arborem exiliant:
perennant,
& putredinis tabem evitant,
Si
diu prægnante arbore
in cortice hæreant.
Ipſa ſæculorum luſtra
deſudabant diu,
ut
adveniente magiſtrâ gratiâ,
quæ vim naturæ obtinet
opus nunquã imitabile præſentaſsẽt
odi ſilveſtre, fungi natale ſolum
qui
quãto citius ex viſceribus

Negotium ſæculorum MARIA

terræ erumpit
tanto periculosius
ab invidâ & edaci vermium tur' a,
exenteratur.
Placet elephantina
in parturiendo mora,
ut infractum ab oneribus edant fætũ
decem annorum spatio,
spẽ in expectatione fluctuare cogũtur
Naturæ miranda
quid præsentas calame;
cedant huic Virgini,
cui
ut ipsa princeps vitæ natura,
obsequium præstitisset, maturum,
seniles conceptum distulit ad annos.
ne tamen
aliquis naturæ irrepsisset error,
obstetricante gratiâ
opus erat.

ELO-

ELOGIVM V.

DESPONSATIO B. MARIÆ VIRGINIS.



Nter fabriles
placuit partheniæ Virgini nubere secures:
secures sunt,
quibus triumphalis elaboratur
currus nuptæ. Desponsatur Fabro.
Arcam fæderis futuram,
nullibi melius elocandam,
chari judicarunt lares *Arca fæderis MARIA.*
nisi in officina fabri.
Architectonicam ut non erroneè
sponsus exerceret artem,
ideam sibi assumpsit in Sponsam.
Iessçiâ de stirpe licet regesq; ducesq;
cognati numeret
sanguinis inter avos
Ipse tamē tātæ tam clarus imagine gentis

Vivere plebeij maluit arte fabri.
Sed jessia pari cum Virgo locanda marito
Nunquā ullum posset Virgo videre parē
Procul hinc cupidinis arcus:
ubi
Cantic: 6 castrorum acies ordinatur.
Mille clypei pendent. Non sauciat animum thalassius ictus,
quem
Mille pensiles defensant *umbones.*
Quid mirum est igitur
Stygios si reperit hostes Virginitas,
Styx à Virgine victa fuit.
Annulus Symbolum Sponsaliorum. Arrhabone gemmeo sponsus
affidat sibi sponsam,
acsi
prophetico spiritu didicisset:
Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex insigne Pontificum. aliquando summi Pontificis
fore Parentem,
subindeq;
annulo Piscatoris dotandam
Herilem fabri subintrat
sub-

ſubarrhata gàzam,
ut
Partus Virginis gravidandæ
Putatitio connubij *nexu*, S. Ignatius.
In domo Celatoris,
coram *ſtygio* colubro celaretur.

Deſponſi dum limen adit Geniale Mariti,
Eſt Feſcenninos Virgo peroſa jocos
Hic neq; Virgo viri vicino conflagrat igne,
Vir neq; vicino Virginis igne flagrat
Frigidiora pudor videt eſſe cubilia nuptus,
Quam videt hybernas Thracia ſylva nives
Mutarunt Elementa fidem; prius igne calebāt
Omnia nunc ipſo frigus ab igne venit.

Eleganter effigiata veluti ſacra
ſtatua jungitur Fabro Virgo,
ex qua
Fabricandæ ſalutis exemplar:
imitandū erit ipſimet adſcitio Patri.
Ferculum novi Salomonis futurum, Alluditur ad Salomonis lecticam.
Putatitio ſe fæderat marito,
ut
Fabri miniſterio

magis

magis dignum,
Quàm de levigatis lignis
fieret vehiculum.
In Templum Honoris
Iam ſibi Virginem
conſecrarant ſuperi,
ubi
(ut moris eſt ſacrorum)
In perennem vota affigere memoriã
Stemma Ioſeph. Aſciam Gentilitiam Ioſeph,
In perpetuum anathema
voto coniugij dedicavit.
Pulchra inter utrumq;
coniugem Parentheſis,
Quæ
Dum indiſpenſabili
clauditur vinculo,
In veteri teſtamento dabatur libellus repudij. Libellũ Repudij admittet nunquàm.
Secundùm dici tantùm
fuiſſe puto Sponſum,
Quia
ſoli-

Solius Verbi putatitius
Dictator designatus.
Divinæ prolis fæcunda
Parens futura,
Provisum nonnisi habere
debuit maritum.
Certè
Non erit frugalis in diuam
Sobolem Pater,
Cuius Regale nomen
Secum affert incrementum.
Sculptilem Neosponsa nonodit artē
Vbi novit verum Deum suum
posse habere cultum.
Lignariam sibi elegit Deus;
ut
Truncatā salutis medullam repararet.
Vnico Verbi
non contentus vocabulo,
Communicationem idiomatum
ut sibi fabricaret,

Provisus sponsus

Ioseph interpretatur accrescens

Non adorabis sculptile,

Dicitur fabri Filius

Fabri Filium nuncupari
non ingloriosum duxit.
Iugum sponsalitium
Humile nè grauaret collum,
Dolabro Fabri perpoliri debuit.
Nova cognatio inter sacros sponsos,
Sanguini nihil debent,
& tamen,
Gradus consanguinitatis non effugiunt.
De linea Familiæ sponsorum,
nemo dubitet,
Linea hæc
Non de simplici arbusto,
Sed
Ex Regalibus,
Manubrio asciæ excisa *sceptris.*
Divinâ ope factum,
ut
Affines Regibus sponsi.
Ibi desponsaretur Regia Virgo,
ubi
Vel Thronus exædificari,
Vel

Vel senatoria sella extrui possit.
Par nobile Coniugum,
Separationem mutuô vovent:
ut
Citiùs in mirabilē unionem veniant.
Plusquam Regalem,
Nemo non potest mirari
in Iosepho Prosapiam,
Qui
Vt colligatione cum superis
gloriaretur,
Fascijs Dei infantis
se implicare voluit.
Nuptias Cleopatræ,
Philtrum ratificauit,
Gemma epota consummavit,
Antonium ex nomine
mirabilem effecit:
Sacratior nuptus MARIÆ,
Quia
Sola unione Verbi consummatus,

Luxuriosa Cleopatræ desponsatio.

Non ſine Diviniori Philtro,
ubi
Muſto Spiritûs Sancti deguſtato,
Solum amoris Divini
incentivum concepit.

ELOGIVM VI.

ANNVNTIATIO B. MARIÆ VIRGINIS.



Vàm compendioſa
ad Virginem legatio,
quæ uno abſoluitur Verbo.
Eximius Orator Gabriel
Lauddtur Cæli Orator
Rhetoricos bene callens flores,
pro themate poſuit;
Thema Oratoris
Quem inter lilia paſci novit.
Placuit elegantia ſermonis Virgini,
Exinde potiſſimùm,
Quod
Exordium Oratoris
Exordium ſalutis
Ipſummet authorem gratiæ
Com-

Componere velle audivit.
Ex visceribus causæ
Acuminosos alij eruunt Laconismos;
Elegantiorem puto fuisse suadam,
Ex visceribus MARIÆ petitam.
Ne
In accentu noster errasset Orator;
Vocalem ante Vocalem posuit.
Vt
Verbum abbreviatum
Sine prolongatione pronuntiaret.
Sitim uehementem Superum,
Erga mortales,
Aliter explicare non potuit,
Quàm
Propinando salutem, dicto AVE.

Vocale Verbum Dei vocali consensui MARIÆ proponit Orator.

Mortali cælestis aue cum lingua puellæ
Diceret o signum grande salutis AVE
Erubuit mutata genas vultumq; puella
Et sua in obiecta lumina duxit humo
Conuenienter humi, Virgo Tua lumina figis
Omnia sunt oculis inferiora tuis.

Salutatio Angelica

Poesis Mariana

Largitiones munerum

Offert Legatus munus Virgini

ut
Exhiberet Legatus;
Vnionem cum natura VERBI,
In Concha Vteri maturandam,
Et
Ad infinitum excrefcendam valorē
præfentauit.

Voto perpetuæ Virginitatis fe obftrinxerat & dicit quomodofiet iftud

Anxia de pacto Votorum Virgo,
Maternitatis dignitatem renuit;
Sed
Quàm primùm Nuntium à Latere
cum poteftate ligandi aduertit,
Subitò aureolam Virginitatis,
Maternitatis fructui obtulit.

Virginis ora facer, cum talia cerneret Ales,
Qualia nulla hominis, viderat ora priùs.
Ad focios converfus, humi procumbere, dixit:
Terra aliquid fuperi, quod veneretur, habet.

Angelicis humeris formidandam
Hanc fpartam, folus Gabriel
obire debuit:
Grande enim falutis negotium,

Gabriel interpretatur fortitudo.

For-

Fortitudini committendum erat.
De propaganda Incarnationis Fide,
Gabriel præficitur:
Quia
Ex virtute cardinali Fortitudinis,
Cardinalis erat.
Purpuratum
Cœli amandarunt Legatum,
Quia
Pretium sanguinis tractandum
in commissis habuit.
Valorem suæ Legationis
ut haberet Gabriel,
Bilancem voluntatis Marianæ
expectat,
Et
Vt pondus addat, petit.
Motum liberi arbitrij
In Virgine explorat,
Qui
Media pacis concludere venit.
Vt se

Consensum Virginis exigit Legatus.

Amor meus pondus meum.

Primus voluntatis actus judicium

Vt se in Vtero Virginis incarceraret
DEVS,
Iudicium voluntatis Virgineæ
appellat,
Sed non sinè favore,
Voluntatis Marianæ judicium,
Quia
Compromissoriale.

Mihi adhærere Deo bonum est

Indifferentiæ nativæ oblita
voluntas,
Vni tantùm parti adhæret.

Spiritus Sanctus obumbrabit tibi

Ita incaluerat diviniFlaminis amore
Virgo,
Vt
Flexibilitas voluntatis
consensum expresserit.

Ecce Ancilla Domini

Domina actuum liberorum voluntas
Fit Ancilla Domini:
cui servire regnare est.
Non sinè magna apparentia,
Tractatur Incarnationis negotium.
Vbi

Vbi
Supremus Legatus
Bonum ſatis apparens oſtendit. *Obiectum Voluntatis*
Vt
Voluntas amplectatur bonum.
Extra ſe ferri voluntati *Anima magis eſt ubi amat, quam ubi animat.*
Connaturale eſt:
Hic iam
Eſt correctus tendendi modus:
Vbi
Voluntati Marianæ ipſum illabitur *Dominus tecum.*
BONVM.
Inſtrumentum erat
Sui Principalis Gabriel,
Et
ut delectabile *Fiat*
In Cantico Virginis audiviſſet, *Canticum Mariæ: Magnificat.*
Secundam DEI Perſonam
Fidei Marianæ alligavit.
Ergô
jam ſacros

In ſormam corporis ei crede
Virgo articulos,
Qui
Totam tibi naturæ credidit
Subſtantiam,

ELOGIVM VII.

VISITATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.


On tædet vias ire per
aſperas,
Et
vadoſa proficiſci per
jugera:
Vbi
Se DEVS comitem præbet.
Solvunt Mortales
Iuſto emenſam leucam pretio,
Hîc juſtiori,
Vbi carne celatum Numen,
Mari-

Virgo gravida Deo, pro duce itineris Deum habuit.

Máriano dat *ducatum* itineri.
Iubatos Phaetontis
Gravida Mater non curat caballos,
Hæc enim vectura
Mollem nonnisi ceram portare nata.
Cursum peregrina Virgo
Sub auspicijs Incarnati Verbi incæpit,
&
Vt caput de peccato Originali
In Ioanne resolveret
Authorem Gratiæ secum citavit.
Non diu torsit
Hæc difficultas conceptum Ioannis,
Cui
Divinum Verbi Parens,
dedicavit argumentum.
Objectum nævi ipsa mordicùs promovebat
Contra Ioannem natura,
Sed eam,
Diluit à pari MARIA.
Conceptum in utero attulit Deum
Ex Spiritu Sancto.

Curru fabuloso non eget,

Alluditur ad cursum Theologicum

Summa difficultas esse in peccato

Hymnus Breviarij.

Qui
Cum sit amor Sacerdos,
Baptismo Flaminis,
Infantē à culpa emundavit
Ioannem.
Iam geminam
In MARIA

Duplex cognatio Elisabethæ Filij cum Maria.

Cum Ioanne cognationem veneror,
Levantem enim & Levatum,
Spiritualis ligat nexus.

Ego vox clamantis.

Vox clamantis
Ioannes nuncupari debebat,
Sed
Degustato prævaricationis pomo,
Sic vocem amisit;
ut
Nisi Verbum accessisset,
Vox Ioannes non fuisset.

Antipatyæ.

Lupinam ille expertus infascinationē,
Prius visus in voce luit
antypatiam.

Cera-

Cerastes nocivo momordit Ioannem ictus,
nisi oriens ex alto
Humorem malignum extraxisset,
Inter natos mulierum
Maior non surrexisset.
Saucium in utero Elisabethæ
Virgo Hospes agnovit
Ex saltu Cervum,
Cui
aliter mederi non potuit,
nisi
Attulisset Verbi dictamnum.

Cervus vulneri medetur herba dictamni

Helidoniam à Nativitate cæcis
Quærunt hirundines pullis,
Sola Virga Iesse
in utero Mariæ,
Visionem Beatam Ioanni restituit.

Hirundinum contra cæcitatem medicamentum.

Montana ascendit,
ut
Lapide sine manibus
é monte

Lapis sine manibus Christus Iesus sine virili consortio.

Statuam in pedibus fictilibus contundat.
Montanum culmen
Mariam intrare opus erat,
ut
è ſupremitate cacuminis,
Veluti è ſpecula,
Nihilum peccati
Videret in Ioanne.
Ipſi montium vertices
Proficiſcentem elevant Deiparam,
ut
Grande piaculi originalis onus,
Majùs præcipitium.
à ſummo ad ima haberet.
Iam fomes peccati
Exarſerat in Ioannem,
Sed
Ipſum fontem Gratiæ,
Gravida Dei attulerat Parens,
ut extingueret.
Pabulum fomitis
Erat

Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum

Peccatum eſt nihil.

Erat Paradisi lignum,
Quod
ut removeret à Ioanne Maria
Brachio Filij Dei utitur. *Fecit potentiam in brachio suo: Cant. S Matris*
Admirare calame!
Ioannes incipit uri,
& si
Carnis stimulum non patitur
Veluti Babylonico inclusus clibano,
Nunquàm flammam effugisset;
Nisi
Similis Filio Hominis advenisset.
Sugit serpens Paradisi
Lac infantis Ioannis,
ut
Esurientem pænalitate castiget. *Fames pænalitas, peccati originalis,*
Sæuit in cognatum Mariæ sanguinē
ut
Impia crudelitate compenset *Vlciscitur dæmon.*
Quod in Virgine neglexit.

ELO-

ELOGIVM VIII.

PARTVS VIRGINIS IN BETHLEEM.


Inâ vice Deum
nasci credito,
Quem
Nisi solus genuisset Pater,
Ille non esset Deus:
Nisi sola enixa fuisset Virgo
ille non esset Homo Deus.
Dolorem parturientium
Diva non novit Genitrix,
Quia
Non habuit quod doluisset in Filio.
Premit sæpè dolor sed tantùm partē
affectam,
Ergo
Dolere Virgo non potuit,
Quia nato benè affecta fuit.
Ad dolores natus
Dolo-

Dolores omnium portare voluit.
Nihil ergo doloris ampliùs
in pariente mansit.
Domui suæ optimè præesse scivit,
Nam
Bethleemiticum parturiens
ingreditur penu,
Vt
Expurgatô veteri fermentô,
Frumento Electorum domum
Panis repleret.
Nidum Mater posuit dilecto pullo
in domo Panis;
ut
Rapacis instar Falconis Herodes,
si quando huic sacræ inhiaret Prædæ,
Panis veneno ipse necaretur.
Portionem Sangvinis sui
in domo Panis posuit Parens,
& ecce
Herodes more Catulorum,

Bethleem Domus Panis.

Accipitri Panis est veneno

Matth. 15. qui edunt de mensis Dominorum,
latrare cæpit.
Diluvium lachrymarum
Præsepe Christi Arcæ vicem supplet. vagientis Filij
Provida advertens Mater,
Arcam Nòémiticam
in concavo reperit præsepi ;
ut
Caram sobolem
& binam animalium servaret speciē.
Vltimum plane halitum
in pueriles exhalabant jumēta artus,
nam
Recedunt vetera nova sunt omnia. ubi novam nasci senserunt victimā,
statim vetus de saginatis pecoribus
expirare debuit immolatio.
Perplexitate mētis involuti homines,
Minimè superos cogitant,
Bos stabuli quasi rationis compos,
Divinam ad præsepe
ruminat infantiam.

Ne

Ne Deus in carne careret
ſuâ latriâ
Sola & unica Parens,
per actus reflexos natum
adorabat Numen.
Stabulum docta Parens
vertit in Lycæum,
Demonſtratura ab effectu
in cunis Deum,
à bove dilemma adhibuit.
Elingvis fuit Divinus Puſio,
Vocales tamen fuerunt lachrymæ
Quia liquidæ.
Cryſtallino ſudore ſtillatim
ab ocellis manante
Lac Matris ipſe temperabat infans,
nê
Deliciari videretur.
Cæleſtes Cygni Beatificum
Empirei deſerunt nidum
ut in fæno ſtabulario nidificent.

Quem genuit adoravit.

Interdum lachrymæ, pondera vocis habent.

Cælicolas quæ causa polo discedere jussos,
In malè sarta casæ tecta migrare jubet.
Nimirùm patriâ dum filius exulat aulâ
Patria nunc famulos non alit aula greges.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Caveam stabuli Beati alites involãt,
Lugubri fletûs fistulâ allecti,
Pacis fœdera olorina voce precantur.
Iam somnus jucundas demulcet
Infantis palpebras,
Quem
Septimo quiescere novit die.
Dormit in angusto soboles secura grabato,
Tu tamen excubias anxia Mater agis;
An metuis furtim sua ne revocetur ad astra?
Te vigili astra tuus jam sua natus habet.
Orientales Satrapæ
Regales fasces infantilibus
mancipant fascijs,
Quia
Absolutum recognoscunt Dominũ.
Putrescunt poma
Nisi ab hyemis austeritate
Recondantur in substratorio fœni,
fimo-

fimoque obstruantur cancelli,
Tres Reges ut Monarchicū fecissent
durabile pomum,
In fæno fimoq; stabuli ponendum
in votis habuerunt.
Exangvem planè frigoris
antiperistasis
in cunis fecerat Natum,
sed
Reges in purpura tincturam Tyrij
asportarunt Sangvinis.
Profusam ostentantes in Neonatum
munificentiam
etiam Sanguini propriò,
Pro Maiestate Infantis
parcere nolunt.
Terram promissionis coronati exploratores
in stabulo invenêre:
Vbi
Lacte fluentem Sacratioris *Iunonis*,
mirari satis, non poterant *mamillam*
Non

Regi Regum se submittūt Reges.

Non fefellit ſpes Regale deſiderium
Pſal. 21. *Spes enim ab uberibus*
inquiebat coronatus Pſaltes.
Sterilē glebā Eoi impingvare volētes
Fimum Bethleemiticum petunt.
Marianas vaſalli Reges,
coronant demiſſi plantas.
Quia
Benè noverunt victrici calcaneo
Ipſa conteret caput tuum. Geneſis 3. inimicum ſerpentis *contriviſſe caput.*
Auroram debebat revereri Oriens
Occasus neſciam:
Ex orientali plaga,
Aulica Regum in ſtabulum,
progreditur turba;
Ne metue Infans Diviniſſime,
Hæc enim plaga auri Sacrā minatur
famem, non verbera.
Fumale tributum, Sabæo thuris
Suffimento ignitum,
vt haberet quô ſolveret
pau-

pauperrima Mater,
Aurum Regalis obtulit Maiestas.
Excubias agebant
Vigiles ante Paradisi conclave
Flãmigero armati mucrone Cherubĩ
Sed
Nec sine custode
& stabularia pueri Camera
Vbi
Angelica vigilias absolvit militia
pro gladijs, Linguâ usi
Gloria in excelsis Deo.

Lingua mea gladius acutus. Psal.

ELOGIVM IX.

FVGA MARIÆ in ÆGYPTVM.

Cum infante Iesu.


Ix in lucem sacer prodijt
generationis liber
authore MARIA,
& ecce

Cen-

Censor Herodes stylum dictat ferreũ,
ut
Characterẽ indelebilẽ Verbi deleret.
Falleris ô Censorine Cato
Hoc verbũ nullã admittit Glossam.
Interpretem te profiteris Verbi
& accentum circumflexum
submisso poplite reddere
Deo tuo reniteris.

H Aspirationis notam truculentum
exprimit Nomen.

Exprimitur nomen Herodis.

Sed
Sacrilega factio conspirationis
prodit crimen

Ero Futurum *ero* spe fallaci abblãditur
non eris tamen quod tibi mendax
Etymon spondet.

Des ultima Herodiani
Nominis Syllaba
Sanguine infantili notari cupit
non dabit

Quia

Quia non omnis qui petit, accipit.
Prælum acuminoſum erigit Herodes,
ut Diviniſſimum reincudat Alpha,
Sed
Hæc curſiva litera Ægyptiacam,
ibit in librariam.
Regali diplomate iudicavit Herodes,
Librum hunc prohibitum,
& ideo
Damnatam necis Sententiam
per ſicários inſerere ei voluit.
Caput Libri
Locali ſatellitum mandat memoriæ,
Illudq; in minimos ſtricto mucrone
dividere jubet articulos.
Varias quæſtiones flagitioſum
famulitium movet,
& uti rudioris ingenij ſubiecta,
Prius rudimenta puerorum repetũt,
Tabulaſq; cunarum rubro ſanguinis
inſcribunt atramento.

Ego ſum Alpha & Omega. Apoc. 1.

Rex vitioſus ſacrum librum vitiare nititur dum ad necem quærit.

Occidit multos pueros. Matth. 2.

G Iam

Iam summum Ecclesiæ
militantis Sacerdotem
impia crudelitate opinantur Iesum,
Idcircò
Inter minores Ordines
eum invenire conantur.
Nè Primitivæ Ecclesiæ
Hierarchicus Status
sine minoribus existeret Ordinibus,
Innocentes Levitæ
primâ in cunis tonsurâ ordinantur.
Pulvere stabuli in *theca* carnis
conspersum librum
Parens fugitiva ventilando
transfert in Ægyptum,
Nè
A tinea læderetur.
Contra folium nè ostendat
potentiam Herodes,
Quasi vento Zephyri rapitur
in fugam.

Unus tot inter funera, impune Christus tollitur.

Contra foliũ quod vento rapitur. Iob 13.

Sti-

Stipulā siccā in præsepi *persequitur*, ut eam nimbo Sangvinis humectet. *Iob ibidem ℣. 25.*
Motricem Intelligentiam
Quis non fatebitur MARIAM?
Quæ
Ipsum Cæleste Numē de sede stabuli
movit in Ægyptum.
De via sollicitus minime erat
Viator IESVS,
Cui
Lacteam viam monstravit MARIA.
Ægyptiacos pro infaustis alij habent dies, *Ave Marit Sstella Dei Mater alma.*
Sed
Mirâ metamorphosi ad adventum
MARIÆ,
Fortunatū Ægyptus dedit intervallū.
Criticos amplius Ægyptiacū clima
non habebit dies,
ubi,
Sol incarnatus decem lineis,

à Bethleem in Ægyptiacum
regreditur horoſcopum.
Theſaurum abſconditum
in Bethleemitico agro
Avarus reſcivit Herodes,
Quem,
Vt è manu Matris rapuiſſet
Latomos miſit.
Meditabatur Punctum
vitæ Christi Herodes,
Nè tamen
Hæc meditatio ſine præludio foret,
Ludere priùs, cum pueris voluit.
Quærebat ſedulò Deum,
ut eum non haberet.
Sequebatur Chriſtum impius,
ſed hæc ſequela,
viam perditionis reperit.
Eiaculatorias elicuit preces
ad milites,
ſed exaudiri minimè potuit.
Sto-

Deus Carne indutus, ſimilis theſauro abſcondito in agro.

Chriſtus mors eſt malis vita bonis.

Stomachabatur adverſus Innocentē,
Et quaſi ſtruthio ferro vixit.
Monet Divos in ſomnis cæleſtis
Referendarius Parentes,
nè Herodianum phantaſma
nocturnam interturbet quietem.
Rubum incombuſtum Mariam
ſacri dixêre vates,
Cui
Cornutam faciem veſanus aulæ
monſtravit furor
vt impeteret.
Supremus aulæ Tytan
elevatiorē quærere non deſinit Polū,
ut calliditate ſua,
veluti alter Syrius noceat.
Calcar addit Tyrannus minarum
& cædis ſpirantibus:
Sed ut in præcipitium intruderet.
Hic tamen lapſus
& ſi plurimos perſecutores in terrā
G 3 eliſit

Sruthio aliatur ferro.

Herodes Aulæ Tytan.

Ad inſtar perſequentis Ecclesiam Sauli

elisit Saulos,
ex his nulla Conversio Pauli.
Olympiacos cursus mãdavit equitibus Herodes
Pro meta
Cor Christi designans,
Ast
Hastati cursores lynceis oculis,
Subtilem metæ circulũ non vidẽtes,
Infelicis æternitatis Symbolum
in præmium reportarunt.
Novam Gygantomachiam
cõtra imbellẽ erigere voluit Heróèm,
Sed
In vanum,
Quia in manibus Matris exultavit
ut Gygas
ad currendam viam Infans.
Frustra hic Samson necem
moliebatur Christo,
Nam
nè mandibulam Asini
ad cæ-

Annulos pro meta sibi affigunt qui cursus olimpiacos exercent.

Mandibulâ asini, pro armis usus Samson Iudic. 15.

ad cædendum haberet,
Asinus stabuli cum Sacra exulante
familia,
in Ægyptum recessit.
Non armis,
nec muris capienda parabant
Præsidia, humanis opibus sperare salutem
nulla salus,
nec enim mortem mortalia pellent. *D. Paulinus de S. Felicitatis natali.*
Peior Rhinocerote
Herodes implacabilis:
Ille mansvescit suæ feritatis oblitus
ad aspectum Virginis.
Hic magis sævit.

ELOGIVM X.

PVRIFICATIO, B. M. V.


Cientiam conditionatorũ
bene novit MARIA, *Ex Tractatu de Deo ubi de Scientia.*
dum
Futurum Filij eventum
aliter

aliter non offert,
nisi
Purificatâ priùs iuxta legẽ cõditione.
Simeon.
Ab hac ſcientiarum Magiſtrâ
Conditionatum *Si* meonis
Nomen didicit
ut
Niſi præſentem cerneret
ſalutis authorem,
Non viſurum ſe mortem
abſolutè crederet.
De legibus
Secundum legem Moyſi tulerunt Ieſum. Lucæ 2.
Tractatum ſine errore docta
Parens ſcivit,
Quod in praxi per leges
Moyſis probavit.
Cuſtos legum MARIA erat,
Quæ
Ipſum corpus iuris Canonici
Magiſtro Sacri Palatij
in templo legendum tradidit
Priùs

Priùs tamen in extravaganti
esse debuit,
Vt areopagum Ægypti consuleret,
Antequam Purificationis
legem impleret.
Iurium alteritatem ut haberet,
Societatem Christi
& Ioseph sibi adscivit.
exemptionem à lege allegare potuit,
effugia tamen iuris non quærit,
Quia causæ Patronum
in manibus habuit.
Etsi statis non stetisset legibus
Pro contumaci suspicari eam
impium esset,
Quæ sine evictore nec pedem movit:
Intervenire tamen iuxta legem
In Templum petijt.
Resignat Sacra Parens
Cara Simeoni pignora
Qui

Ex Tractatu de Iure & Iustitia.

Legalibus præcepti tabulis non obligabatur cum tamen ea implere non omisit.

Viso Domino Simeon mori desiderat accenditq; Cereum ut Confessus Salvatorē in lumine decedat.

Vt de accepto quietet
Quiescere extra fata optat.
Lumen ad revelaiionem Gentium
adhibet,
Vt *sigillum Confessionis* apponat.
In sanctas ac venerabiles manus
Sacer mystes oblatam accepit hostiā
ut elevet.
Aureus calix præclarus fuit MARIA.
Et ne esset sine purificatorio
Sacerdoti se præsentat Simeoni.
Similis adinstar Aquilæ
Provecta Simeonis ætas
Renovanda erat
& ut more volucrum repuerasceret
In Petram procidit.
Talis senectus Phænices gignit,
sicuti

Petra autem erat Christus.

Assyrias memorant phæniceem animare favillas
Claudit odoratis cum sua fata rogis
Nam pretiosa senem simul hausit flamma volu- *crem*
Mox novus è flamma parturiente redit.

&

&

ne in hac fætura, ſolis deſſet cõcurſus
In ſinum Simeonis,
Sol juſtitiæ illabitur.
Sancta Sanctorum alibi reponi
non placuit
Quàm in portatili Simeonis Altari.
Ne in pilo quidem,
legibus contraire videretur
ipſe Legiſlator
Corã cano capite conſurgit ex cunis.
Pullos columbarum dat,
in anathema Genitrix,
ac ſi
Tempeſtive recompenſare vellet,
quos aliquãdo de Templo eijciendos
Cum vendentibus per Filium novit.
Sine felle animus voventium
Melius manifeſtari non potuit
niſi
Per altilia bile carentia

Chriſtus Sol juſtitiæ.

Senex puerũ portabat.

Eiecit de templo vendentes columbas.

Temporale bonum pro re spirituali
accipit Simeon
Licitam tamen,
Quia sine omni contractu
confidentialem

Triplex Simoniæ species, à manu, à lingua, ab obsequio.

Incurrit à manu Simoniam.
Grandis manebat Solymam ruina
Cuius dimensionem ut haberet
Reparatrix MARIA

Accepit Simeon Christum in ulnas suas.

in ulnis Simeonis,
Filium deposuit.
Præviderat illa lapidem super lapidē
ibi non fore mansurum,
Ne tamen
Sacra Senectutis ossa
insepulta manerent,

Lapis Angularis Christus.

Lapidem angularem
in Sarcophagum obtulit.
Pastoralis in Christo iam relucebat,
potestas,
à quo

ut in

ut in Triumphantem liceret
transire Ecclesiam,
Simeon dimissoriales sibi obtinuit.
Canticum Simeonis placuit Matri,
Cui
Iustum datura pretium
Pro Nummo Numen obtulit.
Pulchrius tamen cecinit Simeon,
postquam,
Regentem Ierosolymitanæ Capellæ
in partes sui corporis suscepit puerũ.
Purificationis expectavit interstitiũ
Virgo & Mater
Tametsi
Suo modo *purus actus* dici meruit,
à quâ
Potentialitatẽ peccandi Deus exclusit.
Vitæ asceticæ studiosissima fuit,
More itaq; Ascetarum.
Per viam Purgativam,
In via Illuminativa

Nunc dimittis servum tuum. Dñe:

Puer autem senem regebat.

Poſtquam conſummati ſunt dies Purgationis.

Inter februa lumina ſtetit.
Novũ Virgo nullius culpæ conſcia
intrat Purgatorium,
non ſine ſacratiori igne,
Quia inter accenſas tædas.
Olim Cereris Feſtum
Calendis Februarij celebrabat
in multitudine luminum, antiquitas

Ethnicorum ſuperſtitio in Februario.

Ac ſi hæc Zizania Cereris,
flammis exuri deberent.

Petrus Caniſij9 l. 4.C.12.

& ut mos ethnicus
cum Chriſtiano ritu commutaretur,

Venter tuus ſicut acervus tritici. ſunt verba Sponſi Cant. quod de B. V. M. SS. Patres intelligunt.

Acervus tritici vallatus lilijs
hoc loco ponitur
Cui
Vti Sponſæ Eccleſiæ
Faces accendit Pietas.



ELO-

ELOGIVM XI.

Invenit Mater Filium inter Doctores.



Olumbus gloriatur
novũ se invenisse mundũ;
Plùs gloriæ merentur
oculi columbarũ MARIÆ, *Oculi tui sicut oculi Columbarum.*
Qui Archetypum invênere mundũ.
Gemit mæsta Mater,
Cuius maxima voluptas
In tali vivere mundo.
Mihi mundus crucifixus
inquiebat Doctor.
Sub hac cruce dolens
Stare satagit Mater.
Quem cæli hæredem credebat, *Cælum cæli Domino Psal. 113.*
Iam exulem experitur.
Ipsum sanctitatis exemplar
Iam Filius perditionis factus.
Dolens Mater cryptas tẽpli revidet!

ac si

ac si
Filius fatis cessisset:
Satis prædicamenti habuit
ex Relatione ad Filium,
Sed
ut se maiorem Benefactricem
Templi demonstraret,
Rationem fundandi quærit.
Terminus Relationis
studiò à Matre evanuit,
ut
Infinitum respectum
apud Genitum haberet.
Decorē Ecclesiæ promittit Genitrix,
Et ideo
Inventionem petit.
Casus fuit amisisse Filium
ne tamen
Anxia Mater scrupulis laboraret,
Doctores adijt
ut casum resolverent.
Qui

Mater quærit Filium.

Apud Philosophos Filius dicitur Terminus Relationis prædicamentalis

Theologos adit ut de Filio discat.

Qui domum reliquit
In templo perorat
Sed non pro domo Cicero.
Cathedram occupat:
Quia ad insulas natus.
Inter Doctores sedit,
Sed hæc sessio
Statum Ecclesiæ promovebat.
Non sine investitura,
Cathedram ingreditur,
Qui
à Patre primam *iucunditatis stolam*
recepit.
Ab *uberibus Matris* avellitur,
ut
In gremio Ecclesiæ adolescat.
Iam ærugo veteris ritûs
Doctorum sensus hebetaverat;
Verumtamen,
Cos ingeniorum acumen dedit.
Infirma mundi eligere volens

Christus in Templo docet.

Beata ubera quæ suxisti. Lucæ 11.

Doctores instruuntur à Christo D. qui cos ingeniorum est. Corinth. 1.

I Do-

Imperfecti Doctores erant, quia nonnisi per Sanguinem legalem homines salvādos docebāt.

Doctores convocat.
Satis modicam in eis notavit
experientiam,
Qui
Nonnisi in Sanguine Circūcisionis
Medelam ponebant.
Cruentati Circumcisionis vibice
seipsos curare non poterant,
Exangues certè futuri
nisi venisset,

Matt. 9.

Qui fluxum Sanguinis sisteret.
Non unius cor palpitabat
Amore salutis:

Verba Christi ad cor usq; penetrant.

Hunc tamen titillationis motum
Cordialibus sedavit verbis.

Exodi 17. dū Moyses elevaret manus, populus vincebat.

Iam tamen Mosaici Populi manus
in ima decidunt,
nihilq; à superis impetrant,
Quia in pulsu debiles.
Iugū grave legis è cervicibus Populi
ut deponeret,

Col-

Collum elatæ gentis
humili ſuadela inclinabat.
Exæquare eos
Duodennæ ætatis Statura
non valebat,
Cathedram aſcendit,
ut prima Synagogæ capita
attingeret.
Everrebat domum
Scopabatq; angulos
Sollicita, ut perditam hera
inveniret drachmam,
Drachmam pharmacopeam
invenit Sancta Parens
Inter Doctores,
Quos in doſi pro ſalute animæ
inſtruebat.
Damnum notabile prætendebat
Deipara,
ex non eſſe Filij;
Sed hanc iacturam compenſavit

Cur 12. annorum Ieſus aſcendit Cathedram.

Lucæ 15.

Alluſio ad Doctores medicos doſim obſervantes.

Filius animarum lucro.

Philosophorum dogma. In distās agereDivina novit Potestas,

Vt tamen

Dolorem Matris sanaret,

Non absens Matri esse debuit.

Iustè conqueri dolorosa potest

Genitrix,

Iob 38. *Cythara mea versa est in luctum*

ubi lusus in Verbo deficit.

Sed

Postquam Doctorū intravit musæū

Sanctior Apollo Christus. Cythara suum invenit Apollinem.

Passione doloris intrinsecùs

afflictabatur,

ne tamen

Dolens Mater, in templo mitigat dolorem visô Filio. Vltra Triduum protraheretur

hæc Passio,

Valde mane pulsat templum.

Oppositio inter Matrem & Filium

relativa,

& si non sit contentiosa,

Alibi

Alibi meliùs combinari non potuit,
Quàm in templo.
Vt magis eluceſceret
Maternitatis dignitas
venit in templum,
Vbi ex oppoſito Filij ſtetit.
Docere in Cathedra neceſſe erat,
Quiá
notio Perſonalis Filij eſt,
Spirare Spiritum rectum.
Cecropiæ veſtros ſervate
Platones Athenæ,
Nomina Socraticæ magna tacete
Scholæ,
Voſq; Stagiræi ceſſate docere nepotes
Nos potuit parvus plura docere Puer.
Filiatio ſi dicere fas eſt,
Nullam in ſuo conceptu
dicit Perfectionem,
Ergo ſacras properat ad aras
ut

Bene in templis fit reconciliatio animorum.

Officium Christi quá Dei Filius eſt, docere.

Theologiæ ſenſus.

Tendere ad perfectionem videretur.
Filius Matris dolentis substitit inter Doctores.
Ne mirare chara Parens,
Subsistentiam absolutam,
& communem
Alibi Filius habere non potuit,
Nisi inter Divos.
Duodennis in Sancta Sanctorum
ingreditur,
Quasi meridiem secum ferret.
Fumus crematorum
in victimam pecorum
Sic rorantes obnubilabat cælos,
De nocte antiquæ legis, meridiem fecit Saluator.
Vt nunquam
Meridionalem novissent horam,
Nisi duodennis ex Cathedra sonuisset.
Inter *electum* medius stetit populũ,
Quia
Scrutator cordium erat.
Duodecim Tribus Israel
In duodecim Tribus
Antiqui se divisêre Patres,
Quorum annositati
Duo-

Duodennis infans
De ſuo duodenario
ut vivant, offert annos.
Labyrinthum Templi Divus
intravit Puer,
Quem
Vindicatura dilecta Ariadna,
Funiculum charitatis tetendit:
Et
In filo Filium tenuit.
Prætextatus in templum venit,
Togatus Magiſter domum redit.

Antiquæ legis templum merito vocatur Labyrinthus.

Oseæ. 11.

Ex puero Ieſu, perfectus fit Magiſter,

Stat puer & geminum ſibi iungit amore Parentem,
Et geminus puerum ſtringit amore Parens.
Illa tenet dextram pueri, tenet ille ſiniſtram,
Dignus uterq; manu tali & utroq; manus.
Reſtat adhuc video pueri, & pars tertia reſtat,
Nemo pedes prenſat, da mihi Chriſte pedes.

Poëſis Sacra.



ELO-

ELOGIVM XII.

B. M. Virgo in Cana Galileæ.



Tiam Nuptijs Canæ
alludit calamus,
pro atramento
Licet elementum aquæ epotat
Vinum germinans Virgines
Paginæ reddit.
Aquas Architriclinus
Poculis infundit,
Terrebat hæc inundatio Calamum,
Qui
Quasi ad triremes se damnatum putabat,
nisi
In Insulis fortunatis
Cellam vinariam invenisset.
Cessat aqua
In Cana,
nam
Apparente signo Virginis
Velu-

In Cana Galileæ fit ex aqua vinum.

Insulæ fortunatæ Domus ubi Nuptiæ.

Cella vinaria Maria.

Veluti nova Iride
Aquarum diluvium evanuit.
Iam
Decrescentem Virgo calcabat Lunā
Quæ cum sit
Aquarum Præses,
Aquas Galilæas diminuit.
Non sine vino nuptiæ,
nullum enim gaudium
Sine lachryma Christi.
Deficit vinum,
Et
Vt defectum deleret Salvator,
Aquam afferri iussit.
Exemplar officiositatis
MARIA,
Vt Humanitatem præstitisset
Hospitibus,
Ab HVMANITATE Filij
Petit Vinum.
Exorat Genitum
K Dei-

Signum Magnum Maria ad cuius petitionem cessarunt aquæ, & factæ sūt vinum.

Crescente Luna crescunt aquæ, decrescente decrescunt.

vinum lachryma Christi vocatum.

Hospitalitas in Nuptijs MARIÆ.

Cultum exhibuit Mater Filio, exorando eundē.

Deipara,
Præcedere enim debuit cultura
Novam ex aquis vindemiam.
Excuſat Filius,

Ioannis 2.

Nondum ſuam adeſſe horam,
Replicat illa,
Extemporaneam eſſe
Omnipotentis dexteram.
Ad primam inſtantiam Matris
Vt daret Filius
Iudicium de vino,
Dilationem cauſæ,

Nondū venit hora mea.

Ad certam horam decrevit.
Novum miraculi Genus:
Converſio aquæ in vinum,
Novam temporis menſuram,
habere debuit.
Magni *momenti* rem poſtulabat
MARIA,

Aurora Maria.

Ergo hora expectanda erat.
Vrget Sacra Aurora
Solem

Solem Iustitiæ,
ut
In Aquario
Initium signorum ponat.
Turbatur pocillator nuptiarum
Ex carentia vini,
Mutationem enim rerum,
Præire debet alteratio.
Nè longam
Hora desiderio Matris fecisset morã,
Amor ipse Filij
Addidit pondus,
Deditq; alas tempori,
ut citiùs
Divinitatis Index,
In conversione appareret.
Abundare fecit nuptias aquis,
ut
Amor spiratus,
Qui super aquas ferri didicit,
Corda coniugum necteret.

Petit B. Maria ut ex aqua fiat vinũ tanquã primũ Xti miraculũ, ubi alluditur ad signũ Zodiaci aquarius dictum.

Philosop: docet quod mutationi præsupponatur alterationis motus.

Horologiũ ut sonet horam pondus habere debet.

Amor Spiritus est. Spiritus autem S. vocatur nexus.

Sine Matre miraculum primum patrare noluit.

Primum miraculorum Partum
Filius edere noluit,
nisi
Per viscera misericordiæ Matris.
Alibi aquæ generant monstra,
Hæc
Monstrant miracula.
Lactentem
Ad primordia prodigiorum signa,
adhibet Matrem,
ut
Cruditatem aquæ,
Sacro Parentis ubere
temperet.

Cooperatur Mater ad miraculosã conversionẽ aquæ in vinum.

Reformat aquas Plasmator,
ut
Ordinem novum charitatis,
Quem
Diva Genitrix
In Collegio Galilæo instituit,
Miraculo confirmaret.

Conversio aquæ in vinũ dicitur. reformatio. *Summã charitatem Mater in nuptiis demonstravit petendo vinum.*

Recre-

Recreat aquas Creator,
Prævio tamen influxu
MATRIS.,
Nè etiam creatio
sine instrumentali causa esset,
Omnium *Miraculorum Compendium*
MARIA,
etiam primo adesse debuit.
Prima Geniti portenta
præsente Genitrice esse debebant,
vt
in Albo Mariano notarentur.
Pluit aqueus imber
in hydrias,
serenam mentem daturus Convivis.
Vitem se dixit
Salvator,
qui
antequam uvam passam
sub torcular poneret,
vinum ab eo

Philosophia docet instrumentaliter creaturã non posse creare, sed hic fit aliter.

Compendiũ incomprehẽsibilium perfectionum Dei Maria. And. creteus de assumpt.

Post pluviam serenitas.

Ego sum vitis inquit de se Christus.

Vva passa Corpus Christi.

ſupplex Mater extorſit.
Sertum Nuptiale,
nunquam melius
Coronaret *Caput Mulieris*,
niſi adeſſet Ierichontina Roſa.
Lapideis infunditur
ex aqua vinum amphoris,
vt
lapides qui nonniſi *eſſe* habent,
habeant & *vivere*.
Stagnant aquis hydriæ,
in quibus,
ſolas MARIÆ gratias
piſcari licuit.
Turgent aliquando Botri,
vt
copiam dent vini:
Hîc
ſola MARIÆ
exuberat pietas,
vt

Caput mulieris, viri. Ierichontina Roſa, Maria.

Qui tenet potum dicit vivat.

Nuptia-

Nuptiali Gynecæo
indeficientem propinet salutem.
Malignantis naturæ negationem,
Mater revelat Filio,
qui
cum *omnium infirmitates*
in se portare voluit,
spiritum vini
in medelam,
ex aquis
præparari iussit.
&
nè clandestinum putaretur
Matrimonium,
solus supremus Sacerdos
assistentiam præbuit.

Vinũ non habent.

Particula negativa nõ vocatur malignantis naturæ, sed instante Matre hæc malignitas vino sanatur.

Sacerdos in æternum Christus Iesus.

Adfuit nuptijs in Cana Galileæ.



ELOGIVM XIII
DOLORES VIRGINIS.


QVid agis calame?
Montē Calvariæ involas,
vt
dolorum bili paſcaris?
& ibi
animari te putas,
ubi agonis locus.

Mons Calvariæ, mons dolorum Mariæ.

Infirmari tuum cogis Elogium,
quia dolores ſolus cauſare videris.
Iejunū tibi, laudis thema dabit dolor
Triſtis enim ſpiritus exſiccat oſſa.
Fruſtra ad lapidem Golgoticū acueris,
ubi
nihil metes niſi myrrham.

Myrrha ſymbolum doloris

Pulſas veluti arundine petrā montis,
ſed inde
non elicies
niſi venam lachrymarum.

Moyſes percuſſit petram & fluxerunt aquæ.

Cru-

Crudelē quis non experitur pennam?
renovat dolorem,
& iterum pati cogit.
Recrudeſcunt vulnerum cicatrices,
quas mora ſanavit,
dum
repetitum à calamo accipiunt ictum.
Vindicem & non crudelem
dic calamum,
Literas vertit in arma,
ut
primos dolorum ſæviat in Authores.
Vnâ non contentus Romphæâ,
ſeptem gladios arripit;
ut
veluti ſeptimo die: *Alluditur ad ſeptem dies creationis mundi.*
ab opere dolorū mæſta quieſcat Mater
Sacrā Septimanā componunt Gladii,
quia
à dolore Filii;
afflicta Parens:
L feria-

feriari noluit.
Climactericum, septem gladii
Dolorosæ Matri efficiunt Annum;
eumque periculosum:
quia
per septem numeratum.
Centrum dolorum,
Cor erat MARIÆ,
Infimum sub Cruce elegit locum,
ut desuper;
graves in Cor Matris;
defluerent dolores.
In Montem Calvaristicum
se efferri est passa,
hanc tamen elationem:
Sacra dolorum vehementia effecit.
Et
ne in nudo Calvariæ Monte,
tantus Matris erga Filium affectus
Orbi pateret,
sub umbra Crucis stetit.
Novum

Per septem numerantur anni clymacterici

Novum in corde Matris
Armamentarium,
ubi ſedes amoris,
ibi
recondit enſes,
nè
ulciſci videretur:
niſi
ſolâ amoris vindictâ, vel talione.
In ſe retorquet cuſpidem armorum:
quia
meta erat dolorum.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.

Sacratiorem Paradyſum,
Latro bonus in corde invenit Mariæ;
ubi
etſi flammei in excubiis extant gladii;
Latroni non vetant ingreſſum,
ut
cum præda affectûs Mariani
abiret in cælum.
Stat ſub Cruce

Paradyſum cuſtodit Cherub cum gladio.

Latro per interceſsionem Matris ſalvatur.

desolata Parens,
&
nisi Crucis inniteretur fulcro,
in ultimâ vitæ ad Crucē linea fuisset.
Occumbere mortem,
afflictæ Matri
ante Filium,
sola imbecillitas viriū imperabat;
sed
mortis metus,
quæ armatum Matris
dolorum gladiis vidit pectus,
non permisit.
Portam Cordis
morti reserârunt dolores in Matre,
sed
limen Crucis obstitit,
quod, passus mortis transilire
non potuit.
Solem Iustitiæ Gygantes oppugnant,
&

Crux vitæ prorogandæ optimum remedium.

 reper-

repercussio vulnerum
Cor Matris
reverberat.
Malleorum ferramenta
à clavorum fixura,
ita resiliebant ad Cor Matris,
ut
gladios dolorum semel infixos,
novo ictu reincuderent.
vulnerum syllabum,
sola mater in corde compendiavit,
&
nè tantæ plagarum multiplicationi,
per subtractionem aliquid deesset,
dolorum suorum additionem
prima se posuit.
Scatebant Rùbicone Sacra vulnera,
ut se ad vivum
in corde Matris depinxissent.
Puncturas vulnerum
inhæsisse vulneribus vidit,

Dolores Filii in corde suo portavit & de suis doloribus addidit.

quas
ita cordi ſuo infixit,
vt inceſſātis doloris motivū haberet.
Iam plenū cor Matris doloribus erat,
lethale itaq; vulnus,
Sacrum Filii latus ſerò pati voluit,
ne locum novo dolori;
in tam afflicto corde Matris
inveniret.
Sed
aliter mortuum vulnus
vivificari non potuit,
quàm
doloroſâ animâ Matris.
Penſiles aquas, ſtillat latus ſacrum,
quibus Longini lavat oculos;
&
nè maneret tanti facinoris,
in Longino littura;
aqua delet.
Hamus ſalutis erat
Lon-

Quare poſtquam emiſerat ſpiritum, lancea latus aperitur:

Aqua ex aperto latere fluxit.

Longinus verè Filium Dei cognovit.

Longini lancea,
ipſe *Divinus*, hamo inſidet *Vermis*, *Ego ſum vermis, & non homo.*
ut
ex ſtagnante aqua lateris;
expiſcaretur ſalutem Longinus.
Torquē ex latere Salvatoris detraxit,
quia
ſine hoc *eques auratus*
eſſe non potuit.
Excors erat Heros Longinus:
Cor Chriſti rapere voluit.
Lanceam tulit in menſuram, *Omnes reſurgemus in menſura plenitudinis annorū Chriſti*
ut
menſuram plenitudinis Chriſti
experiretur;
&
nimium *longitudinis exceſſum*
in ſe detruncaret.
Felicior Macedonicus mucro, *Alexandri gladius nodos gordios reſecabat*
ſi nodum invenit, reſolvit:
ſecùs facit

gla-

Primus gladius doloris Mariani ex captivatione Christi in horto.

gladius doloris Mariani;
quem malleatores;
Sacras Filii, in horto vinculātes manꝰ
infixerunt.
Non reſcindit;
ſed innodat magis Cor Matris.
Ligones horti,
in gladium doloris vertunt;
dum
Nazaræum Florem
ex Gethſemanico evellunt lilieto.
Hortum Gethſemani,
male ſana invadunt artificia;
nè
doloris gladius ſine manubrio eſſet,
pinetum in horto inveniunt.
Duellum planè cruentum
in corde Matris,
dolor cum amore inire debebat;
&
ut dolor amorem vinceret,
gladi-

gladios in ara cordis
benedicendos posuit.
Vetiti duelli,
ut non esset spectator Salvator,
e Cruce in sinum Patris abiit;
ita sæviebat dolor in Matrem:
ut
armistitium gladiorum
nec per triduum concêdere voluerit.
Principes Sacerdotum
etsi lege prohibentur
arma offensiva portare;
gladio tamen doloris terebrarunt
Cor Matris:
Ius gladii in innocentem usurpantes Filiū.
Pontium miror Iudicem Præsidem
ut
ex ferreo criminatorum odio
gladium doloris Matri cuderet:
pro incude
Columnam parari iubet.

Duellum prohibetur.

Triduum hic accipitur pro triduo mortis Christi.

Secundus gladius doloris Mariani ex iniquo Pontificū iudicio.

Tertius gladius ex iudicio corrupto præsidis.

Christum ad Columnam cædendū adiudicavit.

M Prin

Petrus Xti di-ſcipulus ancil-lam alloqui-tur.

Princeps Apoſtolici Collegij futurus,
focum atrii adit
ut
Linguã in gladiũ ad ignẽ tranſvertat:

Lingua gla-dius acutus.

eamq́ in Petra nominis ſui acuat,
vt ſe

4tum gladi-um Petrus negando infi-xit.

trino negationis ictu
à primo capite præſcindat,
& cor Matris träiiciat.

Caput no-ſtrum Xtus: doloſum oſcu-lum Iudæ.

Ipſum fidi amici oſculum,
puginale occultè ſaucians erat;
Filio abblanditur,
&
Cor Matris ſecat.

Triginta ar-genteis vendi-tur Xtus.

Triginta obelli
in pretium ſanguinis,
ſimoniaco malleo cuſi;
ſpeciem gladii præferebant,

effuſa ſunt viſcera Iũdæ.

ſi guttur nummularij ſuccidunt:
parum eſt.
ſed

quod

quod cor Matris vibrent
maximum.
Chalybem, catenæ
ad ſacrum Patientis allidunt Corpus, ſtus gladius doloris ex catenea ferrea.
ut facilius
novi Vulcani,
tantam ferri molem
fatuo igne adhibito, Meteora fatuos ignes faciunt.
in gladium doloris conſlent.
Clavorum ternio, 6tus gladius doloris ex clavis manuum & pedum Crucifixi.
Æthnam amoris
reperit in fiſſuris corporis affixi
nomen tantum Clavorum habent,
& more gladiorum,
Cor Pientiſſimæ Matris penetrant.
Pro Corona dolorum Mariæ,
Coronam ſpineam
in corde afflicto repono. Corona ſpinea corona Honoris.
Honoris corona non eſſet,
niſi auctoramentum
à Capite nobiliſſimo haberet :

illa non Regem fecit,
qui ante coronam Rex fuit.
& in ſpinis regnandi cupido erat:
si tantū caput ambire præſumpſerāt.
Omnes ſpinarum aculei,
in unum còaluerunt gladium,
& cor Matris coronando pupugerūt.

7mus gladius erat ex ſpinis

ELOGIVM XIV.

GAVDIA B. MARIÆ V. MATRIS DEI ex Reſurrectione Filij.

Poſt reſurrectionem primò Matri apparuit ut eā ſolaretur



Edivivæ carnis organa
Primam ad gaudia movēt
Matrem.
Bucolica fabuloſi Orphei
erat ſymphonia,
Truncos nonniſi ſilveſtres
ad gaudia animare nata.
Sanctior Orpheus noſter eſt,
quia

quia
quasi palmam exaltatam *Eccl. 24.*
à threnis ad thronos,
post triumphum mortis,
glorioso saltu elevat.
Rumpitur Apollinis plectrum,
inepta ad Iovialitatem
exhilarare desudans saxorum rudera,
extra fabulam
redivivus Apollo, *Non moto lapide resurrexit.*
sine tactu lapidis
gemmam marinam
diviniori donavit tripudio.
Habent suos amphitheatra *Alluditur ad saltum cum gladiis.*
gladiatorum saltus;
ut itaq;
scænici dolorum gladii
ex visceribus Matris exilirent,
primus theatrum cordis
Matris suæ,
cum organo redivivæ carnis

è ſepulchro aſcendit.
Aliter lætarî redemptis conceſſum,
fidem Reſurrectionis
Salvator reſurgens obtulit;
ut
lætitiam cordis intonaret.
Dulce melos fidei;
ſed
ad hilaritatẽ Matris minimè ſervit,
cui
non erat ænigma,
cruentâ peremptum morte
revixiſſe Filium.
Suavis chorda Fidei,
illis nonniſi vivat ſonat,
qui
facie ad faciem
redivivum non eſſent confeſtim
viſuri Triumphatorem.
Valde mane ſurrexit,
ut

Fides reſurrectionis lætificat.

In B. Maria Virgine erat ſcientia Divinitûs infuſa de Reſurrectione glorioſâ Filij.

Marci 16.

pro

pro more filiorum,
bonum mane
Sacræ Parenti precaretur.
Lapidi sigilla apponi voluit,
ne
lapis qui de pariete clamare didicit, *Lapis de pariete clamabit.*
garrulitate saxosa
priùs gaudia divulgaret,
antequàm solus Matrem solaretur.
Sindonem reliquit sub lapide,
ut
omnia silentio involverentur;
priusquàm Matri paterent.
Agnus occisus, *Apoc: 5. ℣. 12*
ballatu solaturus Parentem,
venit diluculo,
spongiamque de vellere attulit;
ut
mæstam pupillam abstergeret.
A sepulchro
primum ad Matrem direxit gressum,
quem

quem
usq́, ad ostiū monumenti secuta est.
Prius Matrem de suo, in vitam reditu
docere voluit,
quæ
usq́; ad ultimam tabulam
ab ipso non recessit.
De sub lapide fons saliens
neminem prius reficere debuit,
præterquàm
arescentem præ dolore Matrem.
Velum templi scissum,
alibi meliùs refici non poterat,
quam
acu Magnetica Matris.
Templum in triduo reædificatum,
Matri devotæ præsentari debuit,
ut adinstar Domûs Lauretanæ foret.
Monumenta aperta
si spectas,
siste gradum viator.

Redivi-

usq; ad mortem & sepulturam B. Mater aßistebat Filio.

Matth. 27

CorpusXti resurgentis dicitur templum reædificatum. Matth: 26.

Ibid, 27.

Redivivo Domino
aperiuntur tumuli,
ut
in Domo Lauretana Altare Privilegiatũ
pro defunctis inveniant.
Tumulatorum cadaverum ſepulchra,
Reſurrectio Chriſti fecit eſſe aperta;
acſi
ſepulchralis eſſet vitalis lapis.
Catacumbarum portentoſum
miror hiatum,
aperiuntur,
ut ſpiraculum vitæ attrahant.
Oſſibus cadaverico putore diſſolutis,
nè
deeſſet bonæ articulus mortis,
totum Chriſti Corpus reſurgit.
Ne mirare,
Iuvenẽ in albis apparuiſſe ad tumulum;
ut juvenili nemo confidat flori.
etiam hîc

Potens eſt Deus de lapidibꝰ ſuſcitare filios.

Marc.16. & introeũtes ad monumẽtũ viderunt iuvenem ſedentem coopertum ſtolã candidã

proximior tumulis iuventa.
Dubia futuræ ſpei juventus,
probari aliter non debuit,
niſi ad Lydium lapidem.
Si juvenis,
cur ad lapidem monumenti ponitur?
hîc mirari calame potes,
ſed
benè adverte, hæc duo convenire,
juventus ut ventus,
lapis monumenti, lapis molaris,
bonā contritionē malæ frugis efficit.
olim cincinnis capillorum,
Magdalena Salvatoris ligabat pedes;
& tamen
ſic Salvator pænitentem
præcucurrit Mariam;
ut
prius Materna inviſeret limina,
quam Magdalena
ad velociorem curſum
in

& abſterſit capillis pedes eius.

Maria Magdalena & Maria Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Ieſum.

in rota pedum Christi faciendum,
cum unguentis veniret.
Allisus ad lapidē sepulchralē Salvator,
Lusoriam in se expressit pilam, Isaiæ 22.
quæ
ab opaco repercussa lapide,
manibus MARIÆ
primò se capessendam dedit.

ELOGIVM XV.

DORMITIO B. MARIÆ Virginis Matris DEI.



Olus DEVS
interpres somnij Mariani,
cujus somnium
vera de Deo cogitatio erat
Immisit Plasmator soporem in Matrem, Gen. 2.
aliter quàm in Adam,
hic
ut unicam haberet costam,

ibi
ut totū Virginis cælo donaret Corpus:
Dormit Virgo,
excubante pro Virgine Deo;
ne
Vigiliæ sunt orationes spiritualium.
in dormitorio
Virgo sinè vigilijs esset.
Non est ausa mors
Somnus est imago mortis.
in conspectum Virginis prodire;
imaginem sui tantùm misit,
somniare tantum morti
de Virgine concessum,
sed
Virginem concupiscere
criminosum.
Ioannes supra pectus recubuit.
Dormit Virgo.
sed
somno Ioannis.
Mollem plumam exosa,
pro cervicali,
Angelico volatu in cœlum abijt.
pennas Angelorum habuit.

mori

Mori non debuit,
pro more enim
præficas doloris habere non potuit.
Iusta inter mortales,
Virgini nemo parentat,
quia
nihil injustum in vita fecit.
Sepultura terræ non egebat,
nihil enim terræ debebat.
Corrumpi sacra Corporis sarcina
quomodo potuit?
si semper rectum judicium habuit.
Lapidibus alij dant sua nomina
post fata,
Virginis sacrum nomen,
saxis non decuit insculpi;
quia
in ea nihil erat,
pro quo lapidari deberet.
Vitam mortales petunt à lapidibus,
ut perennent:

Conducebantur ad plorandum præficæ.

at
in ſolo Verbo memoria Virginis.
Fatis non ceſſit,
ſed
fata ceſsêre Virgini.
Inteſtata abiit,
quia
nullum in terris executorem,
invenire potuit.
Bona poſſedit,
ſed
quæ nihil mali vicini habuerunt
olfecêre Superi fragrantiam odoris,
de ſepulchrali manare tumba,
non diu itaq;
ergaſtulo ſacram tenere
permiſerunt Hyblam.
Transplantari meliùs non potuit;
quàm
è ſolo ad ſolium.
Heliotropij imitata vices;

Odor ineffabilis ex loculo Virginis erumpebat. teſtatur S. Damaſc ſer: de Dormit: Virg.

Flo-

Florem Nazaræum ſequi debuit. *Flos Nazaræ9 Chriſtus.*
Cupreſſinam reliquit menſam, *De Cupreſſo erat Menſa Mariæ.*
quia
ſolius Dei alumna erat.
Amicta ſole
ſepulchrales apud Antipodas,
diu hærere non debuit,
quia
altioris ordinis Aurora fuit.
Effoſſum de terra theſaurum
cæleſtes Latomi
in empirei collocant gaza,
rati ſe poſſe eſſe,
his ditiores opibus.
Martyrum ferrea ſymbola
ut
auream induerent ſpeciem,
Aurifodinam in ſepulchro invenêre.
Aderat ſacro Virginis tumulo, *S. Dionyſius adfuit Virg: tumulo(ut inquit S. Damaſc.*
magnus Areopagi Iuſtinianus,
ut
post

post suavem dormitionem,
Divæ Parenti diem diceret.
Adest Iudex,
ut
solẽni ad superos assistat intromissioni.
Ne mors
liberam auderet captivare Virginem,
officium Areopagi descendit.
Lis erat, cælum inter & terram,
de sacro Corporis deposito;
evicit cælum,
citra injuriam terræ,
decidente Areopago.
Frustra summitas Theologorum
circumstat sepulchrum Virginis,
ubi
nullus conscientiæ casus erat,
nisi excessus in cælum.
Discetis Theologi,
ex profunda sepulchri cathedra,
privationem corporis,
abla-

Diem dicere est ad judicia citare.

Aderat autẽ & Fr. D. Iacobus & Petrus suprema & antiquissima Theologorum summitas.

Tumulum aperuerunt sed omni ex parte, eius corpus nequaquam

ablatâ in cælũ sacrâ materia & formâ

invenire potuerunt.

ELOGIUM XVI.

ASSUMPTIO B. V. MARIÆ.



Scensus Virginis,
Ascensus purpureus,
Tritam priùs ad cælũ viã
Prodromi debebant facere
Reges Abavi:
ut
aliquando ituræ in cælum Nepti,
Purpurata reliquisset post se vestigia.

Multi Reges antenati ante Assumptione V. in cælum evolarũt

Regalem ex nomine
elegit Mensem itineri,
ut
in Augusto
Purpureum invenisset tractum.

In Augusto Mẽse assumitur.

Falces Augusto eripit,
ut
Augustanæ heresis hydram enecet.
O Fal-

Cunctas hæreses sola interemisti Virgo in universo mundo.

Falcibus Auguſti,
armat Virgineas palmas,
ut
in ſydereo campo metat coronas.
Erroneæ ſtellæ
Marianum involant caput,

Duplices eſſe ſtellas fixas & erraticas aſtronomi docent.

acſi
inimica eſſent in caput ejus ſydera;
ſed
falcibus Auguſti pelluntur.

Duodecim ſtellis coronatur Virgo.

Componunt coronã erronei Planetæ,
ſed
hunc errorẽ correxit caput Virginis.
Erronei Planetæ,

Erroneæ ſtellæ convertuntur ut ſerviant Mariæ.

aliter converti non poteſant;
niſi
in caput aſſumptæ Regnatricis.
Athlantico robori

Cælum ſuſtentabat humeris Athlas.

par erat, cæli Heroina,
in cujus caput
etſi ſydereum ruit cælum

ut

ut coronet:
non cedit tamen tanto oneri.
Sacrum Virginis caput
Duodenario ſtellarum circulo,
urſa minor,
ſed ſine murmure coronat,
ut
mellificam
in capite apis argumentoſæ MARIÆ
deguſtet dulcedinem.
Mendicam Pleiadum turbam,
ab eſſedo Regio,
non repulit coronata Virgo;
&
quibus non erat locus in capite,
non ſiccam eis porrexit manum.
De pacifico ingreſſu Virginis
benè perſuaſi erant cælites,
cui
veluti diploma fæderis,
in Confirmationem

Stella cæli vocatur Vrſa.

Pleiades dicuntur ſtellæ nimboſæ.

Pactum fœderis, Iris.

tricolorem præſentarunt Iridem.
Iovis tonantis iratum Numen,
vix ſonoram campanam famæ
de ingreſſu Virginis inaudivit,
à fulminibus abſtinere debuit.

Contra fulmina pulſus campanarum adhibetur.

Decreſcebat Luna,
quouſque Virgini non erat implantata,
nunc
in Luminare minus crevit·
quia
pleno jure ad pedes uſq; ſe inclinavit.

Luna ſub pedibus Mariæ.

Ad reparãdas Apoſtatarũ Angelorũ ruinas
vocantur in cælũ beati,
ut
ſedes vacantes occupent:
ne tamen
innocens Virgo
infamem, reparatura caperet locum,
in ſinu Patris ſedit.

Beati ſuccedunt in locũ Angelorum qui lapſi ſunt.

Mirare calame!
ô quàm miraculoſa!

Aſtitit Regina à dextris.

in

in Assumptione Virginis,
etiam oculi corporei
in cælum elevatio.
Olim status Empyrei,
status erat fragilis,
nunc in sexu fragili stabilis.
Ibi
corrumpi poterant puri spiritus,
à modò jam
incorruptum manẽbit purum corpus.
Nigram se
se olim sacra nuncupabat venustas,
sed postquàm
in speculo visionis stetit,
Angelorum decorem,
Solis splendorem.
nivis candorem
superavit.
Ad imaginem Dei specialiter facta
in conclavi solius Dei deponi debuit.
Similitudinem sui,

Theologorum sententia non admittit oculum corporeũ posse elevari ad videndum Deum.

Non dabis sãctum tuum videre corruptionem.

Cant. 1

Nigra fuit sed formosa

Faciamꝰ hominẽ ad imaginem)

in hac Virginis factura
expreſſit Deus,
Axioma Philoſophorum omnis ſimilitudo claudicat.
& ut demonſtraret (ſe,
nō omnē ſimilitudinē claudicare poſ-
Innixam ſuper Dilectum ſuum eſſe voluit.
Cant. 8.
Siſte calame,
cui ſatis eſt,
ſub corona coronidem imponere.
Comprime manum ſcribentis,
& dic;
Dimitte me,
Gen: 32.
iam enim aſcendit aurora.

ELOGIVM XVII.

Beatæ MARIÆ ad Nives.



Ributaria cæli Roma,
Gabellam à nive ſolutura,
Liberium adit
Summum Pontificem.
Nubem Deipara reſolvit in nivem,
ut

ut
Ioannis Patritij calicem refrigeret.
Nulli se & sua bona resignat,
Præterquam Divæ Parenti,
quia Ioannes erat.
Prima in monte Thabor
Tabernaculorum erectio,
non erat sine nive;
nec Deus voluit in colle Exquilino
Sanctuarij Mariani,
primum ponere lapidem;
nisi in nive.
Nulla Transfiguratio sine Ioanne;
etiam ut Dei Mater,
pio affectu
in hæredem Exquilini fundi
se transfigurasset,
Ioannem Patritium adhibuit.
Non tepescebat à frigore,
fervor Patritij
quem

Ioannes pingitur cum calice.

Matth: 17.

Anti-

Antiperistasis nivea
Ad gradū templi intensū reddidit.
De thesauris nivis
olim Doctor Patientiæ docuit;
thesaurizare volens Romanis
pretiosa Virgo,
thesaurum nivis,
sub clavibus Pontificijs posuit.
Basilicam Liberij,
primi dixêre Quirites,
quia
pro liberis successit Liberius.
Mutato tandem nomine,
Dedicatio ad Nives dicta,
cum hoc tantùm discrimine,
quòd ibi nemo staturâ pusillus erat.
Postmodùm ad *Præsepe* novum
sortitur titulum,
ne locus Patritij
aliquandò sine liberis foret.
Apposite PræsepeGenethliacū Christi
poni-

Locus ubi cecidit nix, primo vocabatūr Basilica Liberij.

Deinde appellabatur Dedicatio ad Nives postmodum nuncupabatur ad præsepe. Præsepe sunt cunæ pueri Iesu.

ponitur ad nives,
cui ſub frigido naſci placuit Iove.
In Quirinalibus olim amphiteatris
feroces exagitabantur tauri,
nunc Chriſti adeſt Præſepe.
Ibidem boves æneos,
ſola paſcebat flamma,
nunc ad Chriſti Præſepe cicurantur.
Trina ad præſepe ſe inclinavit coro-
Sabæo onuſta donario, (na
ſub trino tiaræ Pontificis
ſe collocavit Præſepe Chriſti diade-
ut mate,
Thuris & myrrhæ Sacerdotalis
auriq; obrizi munere donaretur.
Non caret ſuâ
Præſepe exquilinum ſtellâ,
Sacratior ibi, præſidet Cynoſura
MARIA.
Nè
in pari cum puſillo Zachæi cubito,
P Dedi-

Exprimitur Dominatus Neronis.

Trina Summi Pontificis corona. Trium Regũ ad præſepe dona repreſentat.

Stella Matutina Maria.

Tertio hoc Templum vocabatur Mariæ Maioris.

Dedicatio collis Exquilini esset,
excrevit collis in altum;
Titulo MARIÆ Majoris.
Eminere meliùs
Septicollis Roma non potuit,
quàm
ad Mariam Majorem.

Latium dicitur Roma.

Latium latiùs patere cæpit
ex maioritate Virginis.

Collis exquilinus locus templi.

In collem exquilinum
cum festinatione venit Maria,
acsi in Montana venisset,
ubi
novum Ioannem reperit.

Ioannes erat in cuius fundum nix pro ædificanda in honorem B. M. V. Ecclesia cecidit: prævia revelatione Ioanni facta.

Iuremeritò Ioannes Patritius
Inter natos mulierum
major dici potest,
cui ad staturam addidit,
Mariæ Majoris patrocinium.

Minimū Apostolorum sedē cebat Paulo.

Minimus Apostolorum dictus,
ut haberet,

unde

unde cresceret
Mariam Majorem
in capite Vrbis & Orbis,
cultu Hyperdulico honorari
necesse erat.
Novus Stagyrita Patritius,
optime novit distribuere medium
in majori:
ut
bene concluderet vitam.
Sanctior Plato Patritius,
qui
in Exquilini Templi Ara,
aliam non admisit Idæam,
nisi MARIAM.
Venatione sancta
frui voluit Diva
Nive Exquilinum cooperuit campũ,
ut explorarer vestigia.
Medijs canicularibus
quasi venaticijs catellis,

Patritius id quod habuit pro medio vivendi, totũ Ecclesiæ Mariæ maioris obtulit.

Idæas Plato excogitavit.

In nive opportunum tempus venationis

nix in ipso intenso canicularĩu die cecidit Romæ

Successit venatio,
ubi
Patritios Romuli cepit illa lupos.
Posuit Patritius in hac æstiva nive
cordis sui vestigia
ut
à sola Dei Matre caperetur.
Nive Romanũ humectat Deipara solũ,
ut
scintillã, si quæ de flamma Neronis
superesset in ruderibus,
extingueret.
Incalescit Ioannes desiderio votorũ,
in meditullio nivium
Ioannes cum sit,
à vellere Agni calore fovetur.
Bifrontem olim Romanæ deliciæ
adorarunt pro Deo Ianum;
&
ut majus illo non haberetur Numen,
geminâ eum donarunt fronte;
lon-

Nero olim totam Romã combussit.

Alluditur ad D. Ioannnem qui digito monstravit Salvatorem dicens: ecce Agnus Dei.

longè major MARIA,
quam demissi vultûs; frons simplex,
Cælis parem facit.
Ecclesia militans,
Digniorē habere non potuit majorē
quam MARIAM.
ergo
Sacratissima Major MARIA,
dum nivea apparet pruina,
Tu Hybernalia in Bonis Patritij
habe stativa.

ELOGIVM XVIII.

PORTIVNCVLA BEATÆ VIRG: MARIÆ.



SI licet
Paulino Corvo (nē
in vestrā involare Portio-
Seraphici Patres:
Palmam vobis offert,

Portiuncula sacerrimo ordini Seraphico ab ipso Christo col-

ut
escam gustet.
Correlativus Antonius Paulo,
ex ipsa vocis similitudine,
dimidiatum Paulo,
ex penu Mariæ,
Angelorum dabit portionem.
Etiam catellos novimus
edere de mensis;
catulus Leonis Pauli
ad vestrum anhelat accubitum,
ut
ad sepulchralem fodinã nõ accedat,
sine Portiunculæ viatico.
Ipsa tunica Pauli,
ex Palmæ folijs contexta,
cophinum èfficit;
ut
micam Sacræ Portiunculæ
colligere queat.
Et licet

S. Antonius Erem: cum D. Paulo P. E. assidentes mensæ dimidiatum panem sumpserunt.

Leones Divo Paulo foderunt foveã quæ Paulũ in Deo mortuum capere posset.

Tunica Divi Pauli erat per modum sportæ.

cra-

crastina sit Pauli ales,
in quotidianã tamen portionẽ vestrã,
suam extendit pennam.
Digna Portio,
Sacrâ pænitẽtiæ lachrymâ dulcorata,
quæ
cum sit Sacramentum mortuorum,
Pennam corvi
cadavericis assuetam pabulis
ad se allicit.
Inter pænam & culpam,
veluti inter duas averni fauces,
Sacra ponitur portio,
aliter enim
hæc hiantia
obstrui non poterant ora,
nisi Portiunculæ offâ.
Non patitur hæc Portio culpam,
nê modicum fermentum
totam gratiæ corrumpat massam.
Olim Angeli mittebãtur ad Virginẽ,
nunc

Corvus Divi Pauli ales.

Portiuncula in Sacramẽto pænitentiæ fundata.

Indulgentia Portiunculæ & à pæna & à culpa.

Portiuncula sub titulo Mariæ Angelorum.

nunc jam
Virgo mittitur ad Seraphicum Patrē.
Affinis primæ Virginea Legatio,
ibi
unio Verbi cum natura humana,
hic
unio animæ cum Deo,
per plenariam annuntiatur gratiam.

S. Franciſcus Seraphim dicitur.

Acceptam ab Angelorum Regina,
ſic ſolvit Franciſcus portionem,
adoptivus cum ſit Seraphim,

Sacer ordo S. Franciſci maximè zelat pro Immacul: Conceptionē.

in manibus Immaculatam Virginis
portavit Conceptionem:
omnemq; removit lapidem
ne innocētē quis offēdat ej9 calcaneū

In manibus portabunt te (ſubintellige Angeli) ne offendas ad lapidem pedem tuum.

Prodigum in ſe expreſſit Filium,
licet ſanctiori modo Franciſcus,
acceptam Indulgentiæ Portionem,
etiam in luxurioſos diſperſit.

Omnes peccatores S. Fra: facit participes portiunculæ.

Neminem tamen
juſtiùs hæc Portio cōtingere poterat,
quèm

quàm
qui eſt adminiſtratorius ſpiritus.
Laboranti in vineaChriſti Franciſco
ſaltēm portio dari debuit,
qui
groſſum diurnum voto Religionis
accipere non potuit.
Etſi plenè
ſe Dominio exuit,
uſum tamenPortiunculæ
à ſe abdicare non poteſt.
Portionem Sacra Parens
in manibus poſuitFranciſci,
& ut citiùs
ſuperbo tumentes volatu animas
venari queat,
pro illicio
ſanguinevulnerum manus ſcatebant.
Dimidiat alijs Salvator gratias,
ſoli Franciſco totum ſe effudit,
per manus MARIÆ.

Angeli Archāgeli Seraphim ſunt adminiſtratorij Spiritus.

Loculos habere vitabat.

Et dominium rei, & uſū rei nunquam habere voluit.

Vulnera Xti fuerunt impreſſa D. Franciſco.

Tantum enim Ecclesiæ thesaurum,
sola Domina Francisci paupertas
erogare novit.

Minor nuncupabatur ob humilitatem S. Franc.

Minor quasi natu Franciscus erat,
ergo
de lacte Deiparæ
plenā jure meritò exsuxit venā gratiæ.

B.V.M. Indulgentiam plenariam dictā Portiuncula impetravit.

satis erat Francisco,
vivere de sacrâ Pottiunculâ,
educari tamen noluit
sine Bullâ Pontificiâ.

Approbatio Honori Tertij

Recruduerant in Francisco
Christi Stigmata,
ut
novo Redemptionis genere,
per vulnerum passionem,
salutem animarum,
suo modo mercaretur.
Ipse Salvator
sua in Frācīscū transubstātiat vulnera,
Vt novus mystes

San-

Sanguinem Christi consecret,
suisque manibus elevet.
Iniectio manuum
in Franciscum
àmodò licita,
& ut in eo,
major esset regularitas ad Christum,
vulnera pati necesse erat.
Manus tornatiles
fecit Chrîstus in Francisco,
ut
Mariæ Angelorum Portiuncula
suos haberet orbes.
Plenæ hyacinthis erant palmæ ejus,
acsi
Dominicus suus verus Conviva,
jam Portionem Gentis Sarmaticæ
adhuc
in herba campi Poloni degentem,
resignasset in manus Francisci.
Ne tamen

Quo sensu Seraphicus Pater fuit Sacerdos.

Xtus iniecit manus suas in Franciscum quomodo?

S. Dominicus coæuus eius. S Hyacinthus Portio felicitatis Polonæ

Sigillæ Indulgentiæ Portiuncula dictæ.

Portiunculæ collatio, sic robore esset
sigilla vulnerum impressit
Salvator.

ELOGIVM XIX.

B. MARIA V. de Mercede Redemptionis.

Instituitur Elogium de Catholicis in Captivitate Turcarũ degentibus, pro quorum redẽptione B.V.M. de Mercede dicta cooperatur.



Tiam crudele
Saracenorum odium,
non sine mercede.
Hos præmiat Virgo,
qui
in orthodoxum sangvinem sæviunt.
In catastis Tauricis
captivi degunt,
fidelium manes:
verumtamen
nisi piissima Parens
hunc descendisset in limbum
à pæna damni

Ille locus ubi captivi degebant erat quasi limbus.

ibi

ibidem non essent immunes.
Inijciuntur vincula
liberis sub gratia constitutis,
nè tamen
Generosi Christiadum animi
quos
stemma nobilitavit Crucis,
ferreâ manciparentur vulcaniâ,
aureum lytrum procurat
Deipara,
ut
ferreas deauret catenas,
Ex ferreis compedibus, aurea sæcula,
Regis sæculorum Mater
fabricat captivis.
Ligant pedes Catholicos
novi Bizantini Pòëtæ,
quibus
Sacratior Musa
Novum elicit Heliconem,
ut

Aureæ fiunt catenæ per Mariam.

promptiores redelanatur
ad Heroicos versus.
Pro vili
in Maurorum librâ
Habebantur Christicolæ,
Quibus
Dives in omnes MARIA,
ut
adderet pretium
Dedit in redemptionē auri pondus.
semper Divos propitios habet
palmasq; virentes,
Qui
pro cultu Numinis
in orientalium hostium cryptis
Deum quærit.
Vt vana semper Palma
Domesticis quæcunq; crescit in aris;
ut arma sordent,
quæ fluido subditorū maduêre tabo:
sic
nulla

Maria procurat ut pro redimendis captivis detur aurum.

Cū hoste externo & inimico fidei pugnare, apud Deum gloriosum est.

nulla Laurùs pulchrior
quàm quæ hosticis nata campis.
Turpe quod abditur in cive ferrum.
Præstat ensis
qui
Tumidum jugulavit hostem.
Laudo suscepta
non in Patritio campo prælia
nam
nulla pulchrior corona,
Quàm
propriam retinere gentem.
Et pulcher Mars
Domitum Tibi
qui dat Tibiscum.
Pudet mucronis
Quicunq; civili mergitur sanguine,
Hostico arma placent madidata tabo,
non quod
ab incolæ cervice manat.
Steriles Laureæ

Redarguitur civilis & domestica insolentia armorum.

Ita Polonos animat schola pia in insula Pontificum Cracoviensium

quæ

quæcunq; domi ſeruntur
egregias inimica gleba dat palmas.
Degener eſt
Materna quiſquis viſcera
ſuæ Patriæ rimatur impius:
Peregrè cum pugili volitare ferro
res eſt plena laudis,
&
optimi nunquàm fallenda
nuntia nominis
quis vos Sarmatæ furor,
in arma civilia cogit?
Quæ cupido miseræ pugnæ ſubit?
Per Parentum barbarico more colla
Fratrumq; veſtris pergitis enſibus
Cum per æmulos, domeſtica Bellona
poſſet graſſari Boruſſos:
vel arcta fœdifrago dare fæna Mauro.
Domi feroces prælia ducimus,
& à vetuſtis degeneres animis
Avis Nepotes, bella nullas
Aggre-

Aggredimur paritura palmas,
nullasq; lauros, quandô minantibus
cognata signis, signa, ferocior
educit in campum Gradivus,
ac Aquilis aquilas propinquas
miscet propinquis turpiter.
Gloriosiùs pugnarunt illi
in quibus
etiam obscuræ Gentilium turmæ
Lumen fidei non extinxerant.
Ne tamen
Fides sine operibus mortua esset
in captivis;
Opus misericordiæ operatur Iacobus
instante MARIA.
Filius Tonitrui
Ministrante aquila,
veluti ab Iove missus
contra Orientem
fulminare debuit,
ut

In captivitate existentes non deserunt veram fidem.

Iacobus Aragoniæ Rex monetur à B. V. M. de redimendis captivis.

Filius tonitrui Iacobus dicitur.

Ferrea detentorum
ligamina concuteret.
Iacobus Ordinem Mariæ de Mercede
ex asse erigit.
quia benè noverat
Non posse missos Christi ascendere
nisi per scalam Paradisi.
Petrum in somnis compellat
sollicita captivorum Patrona,
ut
Ille incarceratis succurrere conaretur
ac si
nemo meliùs portam Othomanicam
aperire sciret
nisi
qui ex vi Nominis
potestatem clavium haberet.
Non negavit Petrus,
quinimô
antequam Gallus cantaret,
Solam Regis Arragoniæ
vocem

Iacobus Rex instituit Ordinem sub titulo B. V. M. de mercede.

Alluditur ad illam Scalam quam Iacobus Patriarcha vidit & Angelos descendentes & ascendētes per eam.

Scala autem paradisi Maria.

Petrum Nolascum B. M. Vir. similiter commonet ut ille pro redimendis captivis modum inveniat.

vocem audire
in votis habuit.
Petrus quidem erat,
ſed alibi
Sanctiorem Oſtiariam habere
non potuit;
niſi
ubi captivabatur Chriſtus
in ſuis ſequacibus.
Mirabilior hic Petrus
ut
aurem faciliorem conciliaret
pro captivis
apud Turcicum Malchum,
ære ſonare cæpit ad aurem.
Sanctiſſimæ Trinitatis Patrocinium
In Redemptione captivorum
aſſumit Petrus:
& bene;
alijs enim millia milliū non ſufficiūt,
Huic ſatis erat habere

Petro dictū eſt à Chriſto tibi dabo claves.
Alluditur ad hiſtoriam D. Petri.
Non expectat Petrus Nolaſco aliorum Regum ſuccurſum niſi Regis Arragonum charitativū ſubſidium.
Sanctior oſtiaria. Maria Petrus Nolaſco invenit audientiam apud Satrapas Turcarū promittendo litrū pro captivis.
Ordo B. V. M. de Mercede dicitur ordo Sanctiſſimæ Trinitatis.

Trinum perfectum pro captivis.
In tetrum chaos Machometicum,
veluti lapides proiecti erant,
Sacro insigniti Christi charactere
Christiani,
&
ut in unam coaluissent petram;
Petrum Nolascum
Augusta Parens invenit.
Fame perire cogebantur oves Christi,
Petrus tamen
commeatum mittere satagit,
cui
pascere oves
Suprema dedit Potestas.
Pulchra sodalitatis
de Mercede vocatio
cuius quartum non exsolvitur votū
nisi
in foro Bizantino.
Pulchrior vocatio

Petra autem erat Xtus.

Alluditur ad D. Petrum Apostolum cui dictū est à Christo Pasce oves meas

Redimebantur à PP. huius ordinis in foro ubi captivi exire tenebantur.

cuius

cuius
Sacrum echo maximè auditur
in ſubterraneis captivorum gazis.
Pulcherrima vocatio
cui
Ipſe obedit oriens.

Quartū votū huius ordinis eſt captivos redimere à Mauris. Accepto lytro ipſi Cæſares obediūt PP. Ord: de Mercede dum in manu miſsionem captivorū conſentiūt.

ELOGIVM XX.

B. MARIÆ VIRGINIS ROSARIVM.



T Dominicus
non ſine ferijs Majalibus.
Novam in ſuo Ordine
exhibet Florentiam,
& ut
bonum poſt ſe relinquat odorem:
hyacinthos & roſas colligit.
Conculcat ſæcularem pompam;
&
ut quidquid calcaret Roſa fieret,

In Maio incipiunt flores pullulare.

runt calores æstivi flores.

effecit.
Floridum nimij cælorum calores
decoquunt Rosarum rubiconem,
magis tamen
Mariana florescit Rosa,
ubi
canicularis dominatur stella.

Hic Stemma D. Dominici exprimitur.

Desponsare sibi Deipara
voluit Dominicum
cui
sertum obtulit Rosarum;
ut
eum sibi subarraret.
Accendit tædas Dominicus,
ut

Fax in ore catelli candens, insigne eiq

lippis mortalium oculis
Mariana pateret Rosa.
Tenax secretorum Rosa,
àmodò

Rosa olim Symbolum taciturnitatis, ita Plutarch.

Marianam deprædicat Majestatem,
in ore Prædicatorum posita:
loqui

loqui enim Roſa didicit
à Prædicatoribus.
Sanctioris officioſitatis germen,
Roſarium eſt,
nam
meras Salutationes Marianas
continet.
& uti
Regina florum Roſa
alibi thronum habere noluit,
niſi
ubi Angelicus in nomine Thomæ
adeſt Thronus.
In decades
cæli Theſauraria
Sacrum diſpoſuit Roſarium,
ut
Summam Angelicam
per additionem gratiarum
compleret.
Ne opus ſervile videretur Roſarium,
etſi

Roſarium ſalutatione Angelica conſtat

Rich. à S. Laur.

Inter Angelos dantur Throni.

Multæ decades Salutationum numerantur in Roſario.

Divi Thomæ opera vocantur Summa.

etsi
ab Ancilla Domini collectum:
Dominicum ex nomine
habere voluit diem.
Olim Orientales Reges
ad cunas Verbi,
Dux præcessit stella:
pari modo
Regina florum Rosa,
ut
Dominicā veneraretur Nativitatem,
ubi Verbum
in ore Prædicatorum nascitur,
stellam Religionis sequitur.
Ne unquàm
Sacrum Rosarij deficeret odoramētū,
proximum Astris esse debuit,
influxu devoto stellæ conservandum.
Bene currit
Planta Mariani Rosarij,
cui

Ancillam se dixit B. M.V.

Alluditur ad stellam supra præsepe.

Quasi plantatio in Ierico

cal-

calcar addidit
Stella Dominici.
Florentissimum Mendicantium
Ordinem
Locupletare Dei Mater
aliter noluit,
nisi
Centifolio Rosæ.
Non solùm Amalteæ cornu
Purpureas Gratiarum Rosas
dispensat[;
etiam Diva Parens,
Nova legis Evangelicæ Ara
in cornu Evangelij sita,
extra fabulam,
Ipsum *Florem Campi*
& Lilium Convalium
Candidissimo Prædicatorum Ordini
implantat.
Ibi fabulosa Pòëtarum figmenta
vano ditarunt, Amaltico cornu

Ego Flos campi de se dixit Christus.

odore,
Hîc
etiam Divinus Vates
Lucas
ad cornua bovis positus
veras in Maria
Depinxit cornucopias.

S. Lucas cuiq insigne Bos B. M. V. pinxit.

Enecat
Cleopatræ Roseus odor
luxu convivj fædatus,
Antonium,
In vitali enim florum fragrantia
odoratus mortem,
Dum invitatus coronas haurit
in vitus vomit animam:

Cleopatra pro uno convivio in Rosas, sex millia coronatorum impendit testatur Lampridius.

è contra
Ròsæ Marianæ,
ea est sacra voluptas,
ut
qui in eius currit odorem
cursum vitæ protrahit.

Scarabæus Rosarum odore occiditur.

Quis-

Quiſquis fontem hauris,
fontem corona
inquiebat Varro,
non unus fons
pleno ſe effundebat alveo
in laudes Mariæ
è Dominici ſtellato ſinu,
Coronat ergo
Diva Mater
Roſeo Diademate
Hæc fontinalia,
ibiq; effuſos in ſui cultum
efficit Florianos:
qui
non parcè Roſeũ ſauguinẽ effundũt,
ut
Hæreticorum incendia
veluti fatuos ignes
extinguant.
Sat illuſtre
etiam, à Gentilitia facula

Mater vivẽtiũ Maria.

Alluditur ad D. Florianũ qui cum aquali pingitur.

Prædicãtorũ ſacer ordo zelat pro honore B. V. M.

Dominici sydus
Magis tamen inclarescit
ubi
Rubus incombustus
Quem
Rosaceum fuisse
oleastri monumenta edocent
de novo,
Ignes concipit
ut
Dominicum
Sacri Rosarij Phænicem
efficiat.
Emarcuit jam Scipionis Rosa,
Quam
militaribus in præmium,
inseruerat scutis,
ut
sicuti ad Carthaginenses muros
ita ad cuiuscunq; Gradivi minas
non expallescerent.
Virebit Rosarium

Quia

Rubus ille certe Rosaceus fuit qui veris Rosam Christum ex Virgine intacta germinavit inquit Oleaster Ser. 5 in Deuter.

Scipio militibus suis qui primi Carthaginenses invaserunt muros in præmium Rosis uti indulsit in scutis.

Quia
Mille clypeis munitum
sub hoc signo securitas
& timor filialis erga Matrem
cum rubore.

B. M. V. fundatrix Rosarij ex qua mille clypei pendent & omnis armatura fortiũ.

ELOGIUM XXI.

B. MARIA VIRGO
De Monte Carmelo.



IN Carmelum audaci passu
assurge calame,
& novam de Maria
indue laudis mâteriem.
Agnum circumcisum Eliæ montem,
dixêre Hebræi,
Acsi jam paratam pro Scapulari
haberet lanam.
Lugubre tamen hoc genus
vestimenti non erat,
superstite usq; hodie in Paradiso

interpretatio Montis Eliæ.

Cant. 7. Carmeli Patre.
Caput Marianum ſicut Carmelus
jùre meritò cecinit Salomon,
in hoc enim caput
Pijſſima Mater,
Scapulare B. M.V. de Monte Carmelo multum prodeſt animab9 in purgatorio exiſtentibus. non ſemel Purgatorios animarum
congeſſit carbones.
Cedat Mariæ Thaumaturgus
montium tranſlator,
Miraculum Marianum majùs eſt
Montem Eliæ
in purgatorij transfert illa abyſſum;
ut
facilius de profundo lacu
ſequeſtratos, ad cælum elevet manes.
Simon Stokcius de manib9 B.M.V primus accepit Scapulare. Primus Anglicus Simon
hâc veſte donari meruit,
nemo enim meliùs
dimittendis è purgatorio,
Luc. 12. Canticum pſallere potuit,
niſi novus Carmeli Simon.

Sca-

Scapulare per Simonem,
purgatis offert animabus
Deipara,
ut nondum plenè exuſtas
peccatorum reliquias,
veluti in ſindonem involvat.
Verum ſe *Simeonem*
hic Mariani Scapularis Cultor proba-
dum *ulnis* planè *ſuis* (vit
ex purgatorij clibano',
multas animarū myriades exportavit.
Oppignorat quodammodo
Divinæ Iuſtitiæ,
veſtem ſuam clementiſſima Mater;
ut
non attentâ ad rigorem ſatiſpaſſione,
& uſq; ad ultimum quadrantem
exſolutione,
libere dimittantur. (glia
Extinguere conatur incredula An-
Purgatorium,
ſed

Liberantur ex purgatorio animæ ope Divi Simonis inſtitutoris Scapularis.

Incredulitas Anglicorum circa purgatorium.

ſed veſanus Angliæ fallitur furor,
Anglicum Simonem elegit Maria,
ut
in eo ſcintilla maneret Purgatorii.
Innodatas peccatis animas,
de plenitudine poteſtatis
Alexander V. ut evincularet
Privilegium Sabbatinum
pro defunctis dictum
Pontificio approbavit annulo.
Subſcripſit etiã huic Marianæ gratiæ
Ioannes XII.
&
ubi eam condolere videt dolentibus,
Aſſiſtit, ut ſe ſocium pariter dolorum
probet ex Nomine Ioannem.
Auxit honorem
Sacro Carmelitarum Ordini
Honorius III.
& ut Fratres Matris Dei nũcuparẽtur,
providit.

Bulla Alexandri V. Summi Pontificis pro Confraternitate B.M.V. de Carmelo.

Bulla Ioan: 12.

Bulla Honorij 3. indita Sacro Carmelitarum Ordini ut intitulen-

Pur-

Purpura Reges,
Scapulare, cognatos Mariæ designat.
Elias *Fortis Dominus* dictus,
magis tamen Carmeli *dominium*
ampliatum vidit,
ex affinitate cælorum Reginæ.
Superbire elati Mõtes Libyci videntur
quod fortes pariant leones,
longè tamẽ magnificẽtior est Carmelꝰ
quod ibi Fratres Virginis Beatæ
nascantur.
Olim Sacerdotalis amictus,
nunc Scapulare;
Rationale appellari meretur.
ex hac enim veste
Verbi Parentem quivis discere potest.
Rationalis certè hic vestitus est,
docet enim purgatas animas
in schola patientiæ
opera misericordiæ Marianæ.
Militari modo

tur fratres Matris Dei.

Interpretatio Hæbraica Eliæ.

Exod. 28.

Psal. 21, *Misistis sortem* felici eventu,
super vestem Mariæ
Eliæ Filij;
ô quam felix alea!
Patres Carmeli
fecit *aurei velleris Equites*
Odisse cæperant Fratres Mariæ dictos,
invida fata;
& nomen Mariæ Eremiticæ,
pro nomine Divæ Mariæ
supponere conabantur,
sed stellati Fratres,
Lucidissimo Nomine Deiparæ,
Orbi universo inclarescentes
documenta dedêre,
quâ erant origine nati.
Sacellum Mariano honori,
primi posũt in Carmelo Anachoretæ.
Ita enim expediebat,
ut ignis Eliæ,
Mariano semper inserviret altari.

Ne ta-

Ne tamen
erectum Carmeli Oratorium,
ſine inveſtitura eſſet,
Veſtem pretioſā confert Virgo Beata. 3.Reg.18.
Nubeculam apparuiſſe teſtatur Elias,
in cacumine Carmeli,
Typum Virginis præferentem,
quæ
ſi quando ingruentem fatorum
pluviam prænuntiat,
ſtatim & affert pallium.
Duplicem Elias in Eliſæo 4.Reg. 2.
copulavit ſpiritum,
ne tamen hic mirabilis nuptus,
ſine veſte nuptiali abſolveretur, Matth. 22.
Sponſa cœleſtis MARIA
Epithalamicum in Scapulari
accomodat amictum.
Encæniare ergo diceris Carmele,
ubi te nova exornat veſtis.
Deſcende jā ab alto Carmeli calame,

& fimbriā oramq; veſtimēti Mariani
apprehende.

ELOGIVM XXII.

BEATA MARIA VIRGO de CONSOLATIONE.



Tomachantē in mortales
fatorum invidiam,
Conſolationis Marianæ
cinge corrigio
Auguſtine,
cui
ipſa Epiſcopalis notio,
poteſtatem dedit ligandi.
pingueſcerēt aliquādo mortaliū caſu
infortunia,
niſi conſolatorius impediret nodus.
Seneſcentē invidæ ſortis cōditionē,
alius cingere meliùs non potuit;
quàm qui
rupto

rupto Manichæiſmi ligamine,
lumbis Eccleſiæ ſe alligare ſcivit; *Ioan. 21.*
& ducere quo non vellet,
alius nemo debuit,
niſi ille,
cujus Paſtoralis baculus
Conſolatorium dare novit *fulcimentum.*
Olim ſacer Auguſtini pugillus, *Pſal. 22. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.*
uno ferme digito,
maritimam exſugere
conabatur latifundiam,
nunc ipſam Conſolatricē navigantiū
ſtellam, *Stella maris Maria. S. Odil. ſer. 14*
cum zona cæli torrida,
uti Sol Doctorum
Ordini ſuo affixit,
Novam in corde ſuo
accendit pyram *Inſigne D. Auguſtini, cor ignitum.*
Auguſtinus;
ut
exuſto malorum ſemine,

Phænix ſola-tij Maria.

Phænicem ſolatij naſci faceret.
Ex ferreis, in aurea
ut immutarentur ſæcula,
incudem cordis ſui igniti poſuit:
& uti Hæreticorum malleus,
induratam temporum ſævitiem
hebetavit.
Ignem accendit in corde,
ut
quos, Aquilonaris decoxit pruina,
hos, calor, amicus naturæ ſolaretur.
Furnum candentem in corre ſuo
exhibet,
ex quo non ſtillatim,
ſed totus Conſolator optimus,
in afflictos effunditur ſpiritus.
Ream temporum malitiam,
Divina Themis punire volens,
ad lentos Cordis Auguſtini
eam damnavit ignes.
Corrigitur ibi temporum corruptela,
ubi

ubi ſolare,
Sol Doctorum Auguſtinus
in ſe efficit Horologium.
Fugacem alij metiuntur umbram,
ut tempore fruantur;
Sanctior Auguſtiniani Solis umbra,
fugat fatale temporis momentum,
& aureas orbi monſtrat horas.
Primordia conſolationis Marianæ,
ſolus ſenſit in corde Auguſtinus,
primus etiam igneum illi cordis
appendit anathema.
Extra antiquitatem,
eſt ſua Veſtalis,
afflictis
cingulo onerariam mæſtorum trahit,
ut leviorem reddat.
Et certè in beatioris vitæ ſtadio
bene progredi poſſunt,
Spirituales Stadiodromi,
ubi conſolationis ſuccincti corrigiâ,
expe-

expeditiores ad cursum redduntur.
Bononia prima fundamenta
Consolationis afflictorum posuit,
nihil enim magis opponi potest,
quàm bonum malo:
Ipsa nominis *Bononiæ* derivatio,
ita naturam mali excludit,
ut nihil Post se relinquat,
nisi
Consolationis medium.
Martinus de Vercellis,
Turonensem ex Nomine
imitari non neglexit Martinum,
hic uestem Christo,
ille cingulum,
Augustinianæ Confraternitati
incorporavit.
Etsi militare Martini Nomen sit,
non tamen affligere
sed consolari potiùs consvevit.
Canunt alij carmina

Bononiæ erigitur Consolationis Confraternitas.

ut

ut exhilarent;
majus tamen adfert solamen
Ordo Augustini,
qui Gregoriano cantu,
pulsat chordam corrigiæ.
Præcinge ergo calamum meum
Augustine,
ut à corde tuo non recedam.

Greg. 13. Cōfraternitatē corrigiatorū consolationis B. M. V. instituit.

ELOGIVM XXIII

BEATA MARIA VIRGO DE VICTORIA.


Am tandem hostilem
bibe penna
Sangvinem
Et rubro commate
Marianam exara victoriam.
Nimis enim ingratæ emeritis victoribus
forent literæ
si vel atramento sanguinē non refundant.

Armis mare turbaverat
Bizantinus Tantalus,
ut immortalem commodiùs
piſcaretur gloriam.
O quā probroſa ſortis humanæ ingluvies!
Navigijs fortunam laceſſere,
Ipſiſq; periculis fugacia emēdicare poma,
Ibi tamen eluſus,
Mare mortuum
Novus Palinurus invenit
Plerumq; etenim deſperatæ ſpei navigia
naufragijs abſorbentur,
Et eidem intumulantur arenæ,
quam mordet anchora iactantiæ.
Bellum indixerat mari,
ſed hic euripus
ſuum cœpit Ariſtotelem.
Tumida enim fortunæ vela,
ſæpe naufraga complicat ſpes,
Quæ præſumptuoſa infelici omine
explicavit audacia.

Cla-

Classes ordinaverat in aquis,
minimè tamen profecit,
cui ipsum elementum
difficultatem intulit.
Aquas sitibundus intravit,
ubi
Monstrum Marinū se esse probavit.

Heluo Regnorum diductis faucibus ingens,
Bellua, portentumq; gravi sub mole laborans
Orbis prædo, gigasq; triplex, & sæva Charybdis,
Absorpti rictu valido dudumq; gementis
Imperij, trabeæ purpurâ fulsit Evæ
Biston atrox, jurata sitis nostriq; cruoris,
Tot jam diluvijs nec dum satiata vorago,
Opportuna suo captans momenta furori,
Bustaq; vespillo sitiensq; cadavera vultur.

Academ: Poeta describit truculentum Turcarū Imperatorem.

Satis pallidæ Machometanæ
Lunæ
Nemo meliùs ruborē incutere potuit
Quàm mare
cruore Turcico rubricatum.
Etsi
Campum bellî, in mari elegerunt

Lunati Piratæ,
tamen bene impressam eorum armis,
Marianam victoriam
Nunquam eluere poterunt.
Spumabat indignabundus
in faciem cruenti hostis
Ipse Neptunus,
ut confunderet.
Favere videbatur sacræ militiæ
Mare,
Ipsam gemmarum rotunditatem
Miro naturæ modo,
in globos vertit,
ut
Inimicum unioni Orthodoxæ
Traijceret Machometem.
Pretioso lapidum armamentario
Dives mare,
Eijcit de funda sua lapides,
ut novum Goliath contundat.
Truculenti Herodis rabie
in

In Mari pugnatur cum successu armorum Catholicorum.

1. Reg. 17.

in Sancta Sanctorum
sævire volebat Osmanus,
sed suum æmulum invenit Ioannem.
Ioannes Austriacus Dux militiæ
præficitur,
Nemo enim feliciùs signis militarib9
præire poterat,
nisi præcursor Ioannes.
Mariano suffultus juvamine
Ioannes Dux erat,
Quia
pro gloria crucis in arenam maris
descenderat.
Semper enim fæderatos
hæc societas habet animos,
ubi crucis levatur vexillum.
Latro ut vinceretur,
Opus erat Iòanne ad crucẽ & Maria.
Profligatus horâ Rosarij hostis,
ad Echinadas Insulas,
Aculeum dum floridæ Christianitati

Supremus Dux Belli contra Turcas Ioannes Austriacus.

Hæc victoria in festo SS. Rosarij obtẽta de Turcis Ann. 1571.

 infi-

infigere tentat, amittit.
Dum roſas Marianas colligit popul9,
Ceduntur Turci. Palmam victoriæ offert Maria.
Triginta Turcarū ceduntur millia,
perduellis Iudæ
impiam ſequelam in ſe exſoluturi
infauſto numero puniuntur.
In captivitatem abeunt. Decem millia captivitati ceſsêre,
ita ſolverunt decimam
qui ſemen Chriſti
in agro maris eradicare ſatagebant.
Plurimi ad tempus vitâ donati,
ut
Diuturniori morâ ſæpiùs
mori cogerentur.
Planè
Vt molam continuò ſiſyphus verſet,
fædoq; vulturi,
Superſit novū ſemper ad vulnera iecur,
Et quod maximum eſt
Luna Turcarum in Signe. ipſum luminare minus luna
Cor-

Corrigiâ calceamenti
Mariani vincta,
in recognitionem perpetui mancipij
victrices exosculatur plantas.
Fundit preces,
Invictæ castrorum aciei MARIÆ
pro victoria
Pontificius Tyberis,
qui dum emanat à Pio V.
Rosas Dominici alluit,
ut in victricem Coronam
Triumphanti cedant
MARIÆ.

Apoc. 12. Luna sub pedibus eius.

Cantic. 6.

Pius V. instituit hoc Festum, quod incidit in festivitatem SS. Rosarij.



ELO-



ELOGIA
Imaginis Częstochoviensis, B. MARIAE V. in Claro-Monte

ELOGIVM I.

Eiusdem dum esset Ierosolymis.



D. Lucas Evang. pinxit Imaginem B.M.V.Częst.

Vcæ primò in lucē prodiit
effigiata Virgo,
nemini commodiùs
hoc opus cōmitti debuit,
quàm
cui ipsum Evangelicum symbolum,
ad picturam præparavit cornustibiū.

Bos Symbolum D. Lucæ Evan.

Vmbras nescit, occasûs nescia;
soli tamen Lucæ
venustatem ejus,
inimitabilē adumbrare concessum.

Ipſa colorum in faciem Marianam
aviditas,
aliter ſatiari non poterat,
niſi artificioſâ manu Lucæ
poneretur in Menſa Nazaræa.
Vertit pennam in penicillum Lucas,
ut qui
Sacra Evangelij capita,
repoſuit in volumine,
etiam fatigatum Mariæ Caput,
in menſa reclinaret.
Extendit manum in Caput Virginis,
Evangelicus Appelles,
ut colore, ſed non ad colorem
ſerenam coronaret frontem.
In tabulâ Cupreſſinâ
manum ſuam exercuit,
& ut ſe
doctum virũ in artefacturâ probaret,
à Capite Mariano, opus inchòávit.
Tametſi æternitati pingere

Hæc imago picta eſt in Menſa Nazarea.

Hæc menſa depicta cupreſsina eſt.

tantum opus mens erat,
tempora tamen venustatis Virginalis
redimire interminabili coronæ circu-
non omisit. (lo

Cum summo gustu
Mensæ Nazaræ
vivum Mariæ typum impressit,
Mater Christifera Maria S. Bonav: in Laudib. B. M. V.
quia *ferculum* Christi bajulum erat.
Ierosolymis pingitur Imago Sacra.
Ierosolymam,
Lucas sibi in officinam elegit,
Mensamq; Nazaræam instruxit,
ut
Solyma, *Beata pacis visio* dicta,
fruitione Marianæ faciei gauderet.
Micas tantùm alij relinquũt in mẽsis,
hîc tota manet plenitudo gratiæ.
Maria ab Angelo plena gratia dicta.
Pocillatorem veriùs dixerim Lucam,
qui
leges hospitalitatis ut servaret,
primum accubitũ inCupressinâ mẽsâ,
Gratiosæ Hospiti exornavit.

O quan-

O quantam honoris Mariani
Lucas habet *curam*!
ne mirare,
Medicus enim erat.
Medicum in ſui effigiatorem,
Diva elegit Parens,
quia præviderat,
aliquando à Scythis & Huſſitis
fore ſauciam.
Liberâ manu Lucæ
hoc op9 noſtræ ſalutis idæari debuit;
quia liberum ab omni macula fuit.

Lucas etiam Medicus erat.

ELOGIVM II.

Eiuſdem dum eſſet Conſtantinopoli.



VBi lapis ſuper lapidem
manere nequit,
nec ibi ſtare Imago diutiùs
poterat,
quia penſilis affixio erat.

Quare Ieroſo lymis Conſtantinopolim hæc transfertur Imago.

Constantinopolim transfertur
sacer typus,
non sine solenni pompâ
hic translationis actus,
quia cum processione etiam à Filio
Spiritus Sancti.

Error Græcorum circa Spiritus S. processionem.

Nidū destruxit Columbæ Spirit9 S.
Græca Constantinopolis,
sed virgam Iesse tulit secum
MARIA,
ut aliquando repararet.
Helena Augusta
ut
Sacræ Imagini
Constantinopolim monstraret iter;
Crucē invētam prope viam posuit.

Helena Constantini Mater invētrix Crucis Xti.

Helena mensæ Marianæ
verè fuit avida,
ut dulciùs in illa
Regali frueretur pomo.
Sollicita priùs quæsivit Crucem,
ut

Imago Deiparæ devenit in manus Helenæ.

utsi
Ad mensam B. Matris sedere
contingeret,
ad benedictionem mensæ
signum crucis dare posset.
Locum *Tribunal* dictum
adventanti in Imagine Deiparæ
pro primâ statione designat aula;
non aliud Solis Iustitiæ Genitrici,
nisi *iustum* debebatur reclinatoriũ.
De raptu Sacræ Virginis
ne insimularentur
à Ierosolymitanis Cõstãtinopolitani;
in tribunalitiam
itaq; descendunt sedem,
eamq; statuunt,
acsi ipsam Virginem in testimonium
provocare vellent.
interdum ex conclavi Tribunalitio
Sæpe Imperatorium Constantini
invisebat palatium

Vbi primo Constantinopolim introducta erat imago collocata est in loco Tribunal dicto.

Imperatoris iussu sæpius in Palatium asportabatur imago sacra.

Aſportata Icon Sacra,
bene enim noverat ceſſare Iudicia,
ubi incipit Feſtum Palatij.
Inde in eleganti Pulcheriæ
deponitur templo,
cui ne ad pulchritudinem
aliquid deeſſet,
Tota pulchra,
Pulcheriæ exornat Sanctuarium.
Via Ducum Græco idiomate
Hæc Pulcheriæ dicta Baſilica,
decebat enim ut Mitris Ducalibus,
ſterneretur via,
quâ Auguſtæ cælorum Reginæ
eundum eſſet in ſacellum Pulcheriæ.

Poſtmodum in Eccleſiam Pulcheriæ transfertur imago.

Eccleſia Pulcheriæ appellabatur a Græcis via Ducum.



ELO-

ELOGIVM III.

Eiusdem dum esset in Russia in Castro Bełzensi.



A Cōstantino Imperatore,
ad Carolum
Galliarum Regem,
in thesseram
Regalis præmij
Sacra venit Imago; *Donatur Imago Sacra.*
Ita fere expediebat,
ut Agni, qui pascitur inter lilia
etiam Mater liliatū haberet thronū. *Stemma Regni Galliarū.*
Diu luctabatur Constantinus,
precibus Caroli impetitus,
quid facto opus esset,
sed post Galli cantum
Confessus est, & non negavit Carolo
Delineatum Matris Dei exemplar.
Ita demulsit constantem

Impe-

Imperatoris animum
Gallicus precatorius cantus,
ut etiam
de solio suo Auroram Mariam
dimittere cogeretur.
Orientis Imperator
diutiùs Auroram tenere non poterat,
quæ ad ascensum solis,
aliò recedere solet.
Contra Saracenos movente
bellum Carolo,
suis assistit copijs,
Dux fortissimus Russiæ
Leo,

Quomodo Imago Sacra devenit ad Ducem Russiæ

Hîc tantum non habet locũ antipathia,
Etsi *Leo in Galli cantu surgat ad præliũ.*

Leo Galli cantu terretur

Vicit Leo, Saracenorum Hydram,
quæ, ne aliquando erigeret caput,
à Carolo in vim præmij
victricem in imagine
exposcit MARIAM,

Vicit Leo Saracenos auxiliante Maria

quæ

quæ calcanco ſuo
bene novit inimica conterere capita.
Redit Victor domum
Leo,
& palmas triumphi
ſanguine Saracenorum tinctas,
non in hoſtilis prædæ ſpeculo
ſed in Odigitriâ repreſentat
Imagine.
Odigitria Illuminatrix dicta,
in Ducatum Ruſſiæ ſe recepit,
ut Ducatum præberet,
quos error excæcavit.
Benè Divinari ex Divina Parente
Liceat Roxolanis,
Concha maris Maria eſt,
ergo unionem fidei ibi pariet.
in Caſtro Belzenſi reconditur Diva,
ubi Leo
Pluſquàm ſpartanam invenit arcem
ex præſidio Mariano.

Ipſa conteret caput tuum.

Ducatū Ruſſiæ elegit Imagini ſuæ B. M. V.

Concha marina veri vnionis ex cæleſti fulgore procreati Maria S. Damaſc. ora: de Nat. B. M. V.

ibi
Araneam exhibebat defenſam
ſepimentum Lateritium
ſed quàm primùm felix Maria
ſtetit in præſidium,
Inexpugnabilia caſtri
reddidit pergama.
Fatis, extincto dominatu Leonis,
Post mortem Leonis Ludovicus fit ſucceſſor Regni Poloniæ & Vngariæ ſimul.
Bini Pannoniæ & Poloniæ
Regnorum faſces
ſic ſe in unum ligarunt faſciculum
ut
unicâ Ludovici Regis
manu portarentur.
Non uno illinita chriſmatis viſco
Regalis erat dextera,
cui
& Aquila Polona,
ſimul
& Vngarica inhæſerunt ſceptra.
Ipſa Regalia poma

in palmam Ludovici ultrò decidunt,
quibus ſatis eſt ad honorem,
ſi eius manu capiantur.
Tragicam utrumq; Regnum
mutavit ſcænam,
ubi
vocale Ludovici Nomen
conſona fecit arma.
Iucundus erat Ludovici
in Regno Sarmatiæ ſonus,
ad cuius dulce melos
ipſa Poloniæ corona
in caput inſilijt.
In Vngariam remeans Ludovicus
dividit ſceptra in Vladiſlaum
Ducem Oppolienſem,
ſemper enim Martem ſpirabat
Coronatus Princeps,
proinde *Sanguini*
Totum Regni Poloniæ *corpus*
concredere judicavit.

Vladislao Duci Oppolienſi uti ſanguine iuncto committit Ludovicus Regnũ Poloniæ & Ducatum Ruſsiæ.

Vix Sereniſſimũ clavum Sarmaticũ
tranſijt in vices Vladiſlai,
ſic perſtrinxit
linceos Tartarorum oculos
ut nimio ſagittârum grandine
Totum Majeſtatis fulgorem
obnubilare contenderent.
Propugnaculum Belzenſe
in Sacrarium Marianæ Imaginis
dicatum
Princeps elegit,
bene affidatus
à ſagittâ volante
Liberum fore
ubi appenſus erat
Noſtræ ſalutis clypeus.
Glomeratur cruda ſeges ferri
adversùs Vladiſlaum,
ut
Novum coronæ Regiæ
demetat magnetiſmum.

In Caſtro Belzenſi ſubſiſtit D. Imago & ad idem Caſtrum ſe recipit Vladiſlaus ut ſe, protegente Sacrâ Icone contra Tartarũ ibi defendat.

Clypeus fortiſſimus ſagittâ in die volantem diſſipans Maria.

Fer.

Fervet truce Thracia motu
in cruentas Principis clades,
Erravit tandem adinſtar Scævolæ
Loco Principis
Reginam Regni Poloniæ
criminæ Læſæ Maieſtatis affecit.
Emiſſaria Tracûm ſagitta
ad guttur Imaginis involat,
quo ictu
Pijſſima Mater clientem ſuum
uſq; ad guttur defendere ſpondet.
Amicta ſole cæleſtis Virgo
novum in Ruſſia invenit horoſcopū
& pro ſigno Zodiaci
crudelem pati cogitur Sagittarium.
Sceleſtus prædæ Cupido ſcytha
torquet ſagittas
ut
Gutturis ſacra monilia detrahat.
Extat uſq; dum ſacri nota vulneris,
acſi

Oppugnatur à ſcythis Vladislaus.

Imaginem D. Genitricis læſit ſagitta in gutture.

inter ſigna Zodiaci numeratur ſagittarius.

Nullo colore obliterari potest cicatrix gutturis

toto gutture vindictam clamet.
Nullo artis invento tantum piaculū
emendari potest,
ut incorrigibilis scytharum
semper pateret error.
Desine calame
sacrum gutturis renovare stigma,
& de Castro Beszensi,
veluti de Castro doloris
proficiscere.

ELOGIVM IV.

Eiusdem dum est in Claro-Monte.

Eluvius qui alluit Czestochoviam.



Aptus amore Imaginis
Marianæ
Vladislaus
incidit in Vartam
Monti nunc Claro propinqvum,
ubi

Flu-

Fluviatilis vigil
ſic excubias egit,
ut
ſolo Vladiſlao,
in Ducatum Oppolienſem
liberè dimiſſo,
ſub cuſtodiâ Sacrū pignus retineret.
In votis Princeps habuit,
Ducatum Oppolienſem,
Imaginis Thaumaturgæ
ditare munere,
ſed
Supremus votorum arbiter Deus,
de plenitudine poteſtatis ſuæ,
in Monte nunc Clarò
Sacra Principis commutavit vota.
Iam Oppolienſes ad ingreſsū Deiparæ
viam ramis ſternere meditabantur,
ſed
Victrix Virgo,
inter Palmas Thæbeas
Monti

Dux Oppolienſis Vladiſlaus iter agens ex Caſtro Belzenſi in Ducatum Oppolienſem Divinitûs Imaginem Sacrā relinquere cogitur in Claro-Monte.

Stemma Religionis D. P. P. E.

Monti Claro nunc insertas
hærere maluit.
Crucem, Ducatûs insigne
parabat Oppolium,
sed
Vladislai pietas,
ante Passionis crucem,
Dominicam Palmarum,
Triumphatrici Mariæ,
ex Paulino instruxit Palmeto.
Ad Crucem à Vladislao
Sacra petebatur Parens,
Divinâ tamen arte,
mensa Mariana in monte Lechico
relinqui cogitur,
ut
exemplo Genitoris sui
ante *Crucem* pararetur *Cæna Domini*.
Terram promissionis,
Vladislaus primo voto
devoverat Divæ,
Sed

Stemma Ducatus Oppoliensis.

Dux Vladislaus promiserat Imaginem S. in suo collocare Ducatu.

ſed quòd
Ducale ingredi non placuit clima;
favoris eſt, non culpæ argumentum;
Solis adinſtar,
qui,
quò remotiorem retinet polum,
eò magìs beneficum ſpargit radium.
Movere pedem ex Monte Claro
Vladislaus,
cum ſacro anathemate non potuit,
totus enim Lechici Gargani ſitus,
ſic in unam còáluit petram,
ut non eſſet,
qui de via revolveret lapidem.
Quomodo ulteriùs progredi poterat?
quæ miraculis ſatis onuſta erat.
Rubus Marianus,
ut ſe incombuſtum probaret
in monte ſiliceo,
operâ Vladiſlai plantari debuit.
Alibi Coloniam Marianam erigi

Et hoc erat motivum Vladislao Imaginem B. M. V. relinquendi in C. M. C.

Rubus ardens qui non exuritur, Maria S. Ephrem in laud: B. V.

Vladiſlao non placuit,
quàm
ſub trino coronarum faſtigio.

Imagini miraculoſæ placuit manere in Diæceſi Crac: cujus Stemma trinæ coronæ

Coronatum Diæceſis Cracovienſis,
in Monte Claro
elegit Sanctuarium,
hæc enim Orientalis gemma,
ſolis nonniſi coronis inſeri debuit.
Nova Nòémi Arca,
ut

Arcá Noe latior, longior, illuſtrior Maria Heſychij. 2

ex tempeſtuoſo iniquitatis diluvio,
filios perditionis ſalvaret,
pro Armenorum montanis,
in Montem Clarum
Diviniori navigio appulit.

Deſignatur tempus quo in MonteClaro à Vladislao relinquitur Imago.

Infra Apoſtolicas Bartholomæi ferias,
in Monte Claro
felici Zephyro,
ſalutis ſiſtitur Arca;
ita ferè expediebat,
ut

ſan-

ſanctior Prora,
quæ ſalutē generis humani portabat,
Filium ſuſpendentis aquas haberet.
Ius donationis Imaginis Sacræ,
in Montem Clarum,
meliùs transferre non poterat
Vladiſlaus,
quàm poſt cadentiam Bartholomæi
pro prima Iuris.
Secundo, à Virginis partu, anno
poſt milleſimum trecenteſimum
octuageſimum
Monti Sacro illuxit,
verum in Imagine Mariæ ſydus,
ut
Secundam poſt naufragium
oſtenderet tabulam.
Crevit ſtatim Mons Sacer in altum;
cui
ſtaturam aſſimilatam Palmæ, addidit
Vladiſlaus.

Interpretatio nominis Bartholomæi.

Poſt Feſtum S. Bartholomæi judicia reaſſumūtur.

Hoc anno Imago D.Virg.Claro Monti dicatur.

Vnde dicitur MonsClarus.

Buteo in hym.

Claritas Montis Mariani, claritas solis,
unde & nomen accepit,
Radius enim solis intelligibilis
Deipara dicta,
sic in Montem, virtutem diffusam
concentravit;
ut
in eum totum claritatis fulgorem,
mirabili reflexionis modo
refundere non cesset.
Nam *quando terras respicit aureo*
Dignata vultu, nonne serenior
quàm mille soles,
duplicatum è tenebris revehit nitorem.
Increati Filia Luminis
Lucisq; Mater, Virgo Parens simul
à prole mutuatum,
Monti Sacro reserat serenum.
Mons Marianus, Schola linguarũ est,
ubi
quod natura vel pæna negavit,

Lingvæ officium miraculose restituitur.

Gra-

Gratiâ Magiſtrâ diſcitur:
Elingues planè fantur magnalia Dei,
& qui ſolo fletu vota fundebant,
cum organo linguæ recedunt.
Hebetem non unus balbutiens,
verſare videbatur linguam,
quæ, ut gladius acutus
in defenſionem fidei foret,
Miraculoſa Montis Mariani petra,
non ſemel effecit.
Hîc acumen dicendi acquirunt,
quibus ſolida Clari Montis rupes,
cotis adinſtar,
fædam linguæ detergit rubiginem.
Imitatrix Spiritûs ſancti Virgo
eò fine
Pentecoſtalem MontiClaro impreſſit
claritatem,
ut inde
cum linguis igneis recederent;
quos gelidus vitiârat ſpiritus.

Alluditur ad Spiritum S. qui ferijs Pentecoſtalibus in linguis igneis deſcendit & peritiam linguarũ docuit.

Mutorum scæna vix prodit
in theathrum Mariani Montis,
Placidam sibi ex nunc
Ad aram, conciliat audientiam.
Et qui officio auditûs
fungi non poterant,
Hîc salutari miraculorum Echo
inter saxeos Montis anfractus
reboante perculsi,
attentiorem recipiunt aurem.
Extincta oculorum lumina
novam sibi hîc comparant lucem,
quàm
ex sacro collis Mariani silice
corde compuncto eliciunt.
Hîc sepultam nocte frontem,
Et cupitâ luce cassas,
Sol revisit palpebras.
Non unam læsus oculus
deponere cogitur tunicam,
ut

Surdi auditum hîc inveniunt.

Cæci ope Mariæ vident.

Ami-

Amictus lumine sicut vestimento
appareat.
Recedit caliginosæ palpebræ albugo
ubi *nigra sed formosa* serenum
figit aspectum.
Alibi *ægris odiosa sit lux oculis*,
hîc amica.
Si quem pedum fragilitas
Ad tractum viæ arripiendum
inhabilitare
incusabatur,
in hoc Monte
ab Augusta cælorum Regina
Liberū passū obtinere nō dubitavit.
Non fabulosam in sacrario Mariano
langvidi inveniunt Lethen,
ubi
ad primum Divæ Parentis intuitum
Dolorum pressuras oblivioni
dare jubentur.
Insusam curationum gratiam
à pro-

Claudis gressus expeditus per Mariam redditur.

Lethe est fluvius quem qui gustat memoriam amittit.

Infirmi sanātur. à probaticâ olim languidi hauriebāt
piſcinâ,
quô ſalutari fonte,
In Montem Clarum tranſlatô
ſanitatem piſcari conceſſum.
Qui diuturnâ morbi violentiâ
lecto hærere inviti adigebantur,
illi arrepto manu, grabato
ampliùs de infirmitatis ſtatu
nec ſomniârunt.
Mortui reſurgunt. Indiſpenſabile mortalitatis *debitum*,
inſtigante ipsâ Nemeſi,
non unus dum exolvere cogitur,
Hîc jus ad vitam acquirit.
Vallem Ioſaphat
in monte Mariano
Fæda invenêre cadavera
ubi
reaſſumpto vivido ſpiritu
dum exſpirant, iterum ſpirant.
Mori hominibus de lege eſt,
Soli

Soli MARIÆ,
in hac lege dispensare concessum.
vitam amittere, casus mortis est,
sed
Ipsum Montis Clari nomen
Lucernam accendit
everritq; domum
ut
Drachmam perditam pretioso lytro
redemptam inveniat.
Divortium animæ cum corpore
assistente Deo,
non semel in Monte Claro
revalidavit,
novoq; vinculo ad Aram
animam corpori copulavit.
Pretiosam hominum mortem
in conspectu Domini.
Diva ut redderet Parens,
unionem animæ cum corpore,
in Monte Claro fabricavit.

Vitam amissam in Monte Claro multi inveniunt.

Nexus vitalis animæ cum corpore.

Falx mortis,
non ſemel in vivum Montis Mariani
impegit lapidem
qui mortâlem hebetavit chalybem.
Non unus *manipulus fletûs & doloris*
jam in horreũ ſepulchri efferebatur,
ſed

Theſaurus Divinæ æconomiæ plane arcanus & ineffabilis Maria S. Epiphanius orat de laud. Deiparæ.

vitæ humanæ æconoma Maria
Granum frumenti mortuum
vegetavit.
Mors inimica vitæ
ubi ſarcophagum
pro mortalibus ſperabat,
cunas invenit.

Dum in Monte Claro mortui reſurgunt ac ſi renaſcerentur.

Oſſa arida mortuorum
cæco ictu more alearum
non ſemel mors proiecerat in terram
ut luderet;
Benè tamen ſors cecidit
in Monte Claro,
quia

cum

cum lucro vitæ.
Cedere mors vitæ debuit,
umbram enim mortis
ipſum claritatis montanæ nomen
pati non potuit.
Incineratos non ſola Arabia
animat Phænices,
Etiam in Monte Claro
mortui Polonæ Aquilæ pulli
nidum vitæ inveniunt.
Et qui caſtra ſeqvuntur
Terribilem ut caſtrorũ acies ordinatam
Inter fumantes tormentorum pyras
pacificam experiuntur Bellonam.
Globorum jaculatoriorũ circulatio
non uni
vertiginem capitis intuliſſet,
ſed
Ad æream Imaginis portatilis
alliſi laminam,
Ceræ mollis adinſtar,

Vita mortales conſtituens immortales Maria S. Bonaven. ſuper Salve.

Milites Poloni portant in pectore imaginem B. M. V. & ſalvi fiunt.

ſinę nocumento vitæ;
coram Marianâ effigie,
Hiperdulici cultûs gratiâ inflectũtur.
Redire retro tormentarij
videbantur globi,
acſi (râ,
Potēti Divæ Genitricis, retruſi dexte-
ubi
ipſum tormentum,
ſibi fuit tormentum.

Globis tormē-tarijs traiecti illæſi manent.

Penſilem in pectore,
Mars Sacrilegus
Fumoſam dum attentat
ex ſclopo fumantę
reddere Divæ imaginem,
Miraculis clariorem reddidit.
Pulverem aliquando evomuêrę
in Marianos clientes
Truculentæ armorum fauces,
minimè tamen,
vivam pietatem,
quam

quam devotum pectus
in ipsam spirabat imaginem
sepelire potuerunt.
Immersus visceribus mucro,
sæpe ex profundo
præcordiorum enatavit centro,
Anchorâ spei Mariâ.
Innocentis sangvinis
pressus siti gladius,
feritatis suæ obliviscitur,
Dum in venam misericordiæ incidit.
Ebrius sanguine mucro,
in vaginam redire sæpe iussus
illæso corpore,
& qui abstinere nescivit,
temperantiam discere
in ærea Divæ Parentis
effigiatâ tabellâ debuit.
Erubescit non tam sanguine,
homicida gladius,
quàm dũ in conspectũ Mariani sacelli

S. Bonavent. in Psalterio maiori.

S. Bonav.

Gladio trãsfixi manent illæsi.

Gladij pro voto appenduntur in Sacello Mariano.

in perpetuum anathema ſiſtitur.
Spinam corporis , ictus gladij,
lethali vulnere
exſcindere plerumq; tentabat,
ſed *Ierichontina* ſpinam defendit *Roſa*.
Etiam in catenis
videre erat,
Liberũ Mariani beneficij progreſſum;
neſcit enim tarda molimina
tametſi in vinculis Gratia.
Vltro hîc decidunt ſervitutis vincula
ut decidant,
vim in Marianâ majorem ope,
quàm in ferro.
Ipſi catenati pedes,
facile ferrea excutiunt ſandalia,
quàm primùm Sacra Divæ
calcare licuit limina.
Hoſticis ligati cenſuris,
hîc à vinculis abſolvuntur;
quorum nulla maior culpa,
quàm

A vinculis & compedibus liberantur miraculosè clientes Mariæ.

quàm
fuga mali,
nullumq; majus crimen,
quàm
odisse tyrannum.
Rumpi certè coguntur
absq; arte compedes,
quos Mariani Nominis
Clientum, innoxius sanguis,
corrosivâ rubigine
non semel consperserat.
Mollescit crudele genus ferri,
ubi sacratior Mariæ adest officina.
Cincturas ferreas, è lumbis cadere
non casus erat;
cadunt enim catenæ,
ut detur locus novo votorū vinculo.
Bellorum injuriâ
ad compedes damnati,
interventu Mariæ,
à statu damnationis,

Disrumpuntur catenæ miro modo.

ad

ad ſalutem revocantur,
novamq́; in viſione Imaginis
reperiunt Beatitudinem.
Cum vinculis ſimul
exuunt & nomen mancipij,
ſolo contenti vocabulo,
eſſe mancipium Mariæ.

Catenæ appenſæ ad Arã teſtantur gratiam Mariæ.

Appenſa ad Aram Marianam vincula,
iam ampliùs non terrent animum,
totam enim eorum feritatis rabiem
Sacer abſumpſit ignis.
Signa damnationis cum eſſent,
in ſigna ſalutis tranſeunt,
ſolâ ad Aram alligatione.
Pendere jubentur jure meritò
dura catenarum ferramenta,
ut
hoc ſanctioris pœnæ modo,
faciliùs teſtimonium
de miraculis Mariæ
perhibere cogantur.

Et

Et quidquid infausti invida fata mortalibus imprimunt,
Fons totius consolationis delet
MARIA.
Hæc *evicit*, non semel iura *feræ Stygis*,
Parcarumq; colos irrevocabiles.
à probis amovit viris,
Iniqua enim rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit, nemo se tuto diu,
periculis offerre tam crebris potest,
Quem sæpe trãsit casus, aliquãdo invenit.
Fatum rumpe manu
Supremi Tonantis Genitrix,
nam
Labimur sævo rapiente fato,
duciturq; semper nova pompa morti,
longus ad Manes properatur
Ordo
Agminis mæsti, & turbæ tumulos petenti
Non satis septem patuêre portæ,
Stat gravis strages, premiturq; iũcto funere fu-
(nus
Quin in luctu ipso, luctus exoritur novus,

S. Ephrem in laud. de B.M. V.

Vera moderni temporis calamitosi facies ex Annæo Seneca.

Suaq; circa funus, exequiæ cadunt,
Non vota, non ars ulla, correptos levant,
Cadunt medentes, morbus auxilium trahit,
Deest terra tumulis, iam rogos sylvæ negant.
Omnia nostrum sensêre malum
Rupêre Erebi claustra profundi
Prostrata iacet turba per aras
Oratq; mori.

Sed vos
pectora longis hebetata malis
festino cursu
In Montē Marianū ascensum parate,
& sollicitas jam ponite curas,
fugiat mæror, fugiatq; pavor,
fugiat trepidi comes exilij
tristis egestas,
jam sævi nubila fati pellet
Consolatio desolatorum,
MARIA.

Ludov. Blosius in prec:

Temporisq; omnes demittet notas,
redibunt vultus ad læta boni,
veterēq; ex animo illa mittet Thyestē
hæc spem reducit mentibus anxijs,
hæc

hæc dulce mæstis, præsidium reis,
Hæc pestilentem pellit Eurum,
Ne miseras populetur Vrbes.
Serenissimi Regnorum Soles,
ne
oppositione Othomanicæ Lunæ
aliquando ecclipsentur,
Cælestem Virginem in Monte Claro
pro signo eligunt.
Solidare Regale Solium
meliùs non possunt,
quàm
dum in inconcussâ
Montis Mariani petrâ,
unctâ manu primum ponunt lapidẽ.
Premit sæpe Regale caput
corona,
ut se ad ima
Majestatis Marianæ inclinet.
Nutarent aliquoties Regum capita
si per MARIAM Reges non regnarent.

Reges Poloniæ Regni sui primordia à B. M V. incipiunt & contra Turcas opem implorant.

Citò valdè implicatur capillis corona,
si sæpiùs coram Mariano
non deponatur throno.
Primus ante omnes,
utriusq; Coronæ
Rex Ludovicus
in Monte Claro sistitur,
Divino id factum fato,
ut sanctior Amphion Ludovicus
dulci nominis sui fistulâ,
succedentium Aquilam Regum,
ad vota reddenda alliceret.

Pedes ivit Rex Ludovicus in Clarũ Montẽ devotionis Causa.

Ne lusum Fortunæ,
vel inversam ejus rotam
experiretur Ludovicus,
sine Regali curru
in Marianam movit gressum, aulam.
Iustè lusũ Fortunæ metuit Ludovic9,
Quæ, sæpe in præcipiti dubioq; nimis
excelsa locat,
Nunquàm placida sceptra quietem
Certumve sui tenuêre diem;

Non

Non ſic Lybicis ſyrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus,
Sicut præcipites Regum caſus fortuna rotat,
Non nox illis alma, Receſſus præbet tutos,
Non curarum ſomnus domitor pectora ſolvit.
Quò maiora Terrarum Numina
Eò maiora poſt ſe fatorum trahunt odia.
Corpora morbis maiora patent,
Et cum in paſtus armenta vagos,
Vilia currunt; placet in vulnus
Maxima cervix, quidquid in altum
Fortuna ruit, ruitura levat.

Iagellonicus manipulus
Decimam ut ſolveret,
in Monte Claro
Ad acervum tritici vallatum lilijs
Vota ſua comportavit.
Bonum ſemen cecidit in Terram
Iagellonicam
in qua
De rore cæli & pinguedine terræ
etiam Regij excrevêre faſces.
Non perdidit diem Amicus honoris
Mariani

Stemma Sereniſsimæ Domûs Iagellonicæ, cuius Nominis Vladiſlaus Iagello & Filius Vladiſlaus item Caſimirus Frater eius cum Regina Eliſabetha ac filijs ſuis viſitant locū Sacrum.

Divus Casimirus,
qui non tantùm omni die
dixit laudes Mariæ,
etiam noctes vertebat in dies,
ut
Totum temporis *cursum* Marianum
de die absolveret.
Iam lilium puritas vitæ
Divo parabat Principi;
Ille ut intaminato candori
maiorem adderet decorem,
Paulinam in Monte Claro
Regalibus Sceptris
Philadelphico iunxit nexu Palmam.
In manipulo videbatur
Ferre panem Princeps munificus
Monti Sacro,
ut Paulinum sibi adoptaret corvum.
Nunquàm ociosa
Sigismundi Regis dextera,
aliquando occupabatur sceptris,
ver-

A. D. 1472. D. Casimirus visitat locũ Sacrum & suscipit Confraternitatem cum FF. Ord. S. Pauli P. E.

versabatur aliquando in armis;
Reliquias temporis
aurifabrili consecrabat operi.
Cessit Sceptrum Regale malleo,
ubi
Princeps pro Deo incæpit artificium.
A signo Sanctæ Crucis,
Mallei inchòávit ictum,
& consumatâ laboris Passione
in Montem clarum ascendit
ut
Crucem in Arâ Marianâ deponeret
Argenteum Regiæ dexteræ
Crucis erat opus,
sed ei inæstimabile
Lignum Crucis, addidit pondus.
Non quiescit ab opere Divino
Princeps,
cum sudore thecam argenteam,
Pro sacra synaxi elaboravit solus,
ut

Sigismundus Rex artis aurifabrilis fuit peritus.

Manu propria Crucem argenteam oblongam fecit eamq; pro decore B. M. V. consignavit.

In hac Regia Cruce est notabilis particula ligni vitæ.

sibi

ſibi in ſudore vultûs
Idem Rex pro Euchariſtiæ Sacramento monſtratoriū elaboravit.
veſci pane Euchariſtico liceret.
Thecam fabricavit Sigiſmundus,
ut in ea
Liber vitæ maneret.
Thecam dedicavit pius Rex
Mariæ,
ut *Panem intellectûs*
Magnæ hoſpitalitatis Parens
inde communicaret Viatoribus.
Redux ex Capitolio Romano
Urbani VIII
Vladislaus Quartus, monile offert B. M. V.
Vladislaus IV
Vellus aureum
in Marianum depoſuit ſinum,
ut ſe
de grege Chriſti eſſe,
coram Matre profiteretur.
Invictum Regis corpus,
incommodo viæ
valida infirmitas invaſerat,

ſed

ſed
Crimen læſæ Maieſtatis ultura
Cælorum Regina,
Vires Principis reſtauravit
Roſa ipſa adamentinis diſtincta folijs
loquitur pro Vladiſlao;
quæ dùm
Horto cõcluſo è votoRegis inſeritur
Ita ſupremo Salvatoris
placuit Numini,
ut
Eam ſibi in coronam dari voluerit.
Spinas alij hic Roſas in exteris
didicit loqui
quarum vocalis ut eſſet odor
in capite VERBI ponendam cenſuit.
Amica ſpinis Roſa cum ſit,
melius reponi non potuit
quàm
in ſpinoſo capite.
Regum Maximus Caſimirus,

Item Vladiſlaus pretioſum monile obtulit inſtar Roſæ quæ ad Coronam Salvatoris in ara Mariana applicata eſt.

Et Tago & Sago potens,
inter sævum bellorum tumultum
Aris libamina dare non ommisit.

Rex Caismirus visitat locum sacrū.

Maximum hoc Regni bonum est,
Quòd facta Domini cogitur populus sui
Quàm ferre, tàm laudare.
Procul sit ab aulis illud:
Vbicunq; tantùm honesta domināti licet
precariò regnatur.
Procul & aphorismus ille:
Sanctitas, pietas, fides, privata bona sūt,
Quâ juvat, Reges eant.
Bellum Tauricis indixerat copijs
Casimirus,
favente Maria,
nam
Qui nervo tenebat Æmonio
Pennata spicula Chiron
Rupta perdididit spicula neruo.
Vbi Mariano se suffultum
Credidit Casimirus tutamine,
intre-

intrepidus dubiæ belli
ſe commiſit aleæ:

Quam primùm Aquila pugnam
ſignifer vocare
Et aurea clarum nota nomen Ducum
Vexilla proſcriptum ferre cæpit
Signa collatis apparuêre ſtatim vicina ſignis:
In fugam tamen abiêre ſcythæ
Sicut inſano ratis premente vento rapitur,
Iam minæ ſævi cecidêre ferri
Iam tacere debuit ſtridor litui ſtrepentis
Ubi caſtrorum Caſimiri contra ſcythas
Teſſera erat Maria.

Redux ex caſtris Princeps
pronus coram Marianâ cecidit Arâ,
qui hoſtem cadere & cedere fecit.
Vexilla hoſtium appendit,
ut victos mancipare t.

In perpetuũ anathema Vexilla dedicavit victor Rex.

Par Regum
Caſimirus & Ludovica
n Montem Clarum advenæ,
iunctis viribus
Foſſilem proprijs manibus

Propugnaculum Clari Montis à Suecis dirutũ proprijs manibꝰ Rex & Regina instaurãt & inde vocatur propugnaculum Regium.

in Monte Mariano
comportabant terram
acsi
propugnaculum machinis
Sveticis concussum
ambo Reges
in manibus portare vellent.
Erecti propugnali robur
luculentius probari non poterat
Quám
Dum munificâ ipsius Regis
dexterâ oppugnari cæpit
stant firmius fortalitiorum mænia
quæ benefica arietant iacula.
Parum erat Clementissimo Regi,
Lateritios vivâ calce nutrire parietes,
nisi etiam altricem in Paulinũ corvũ
extendisset manum.
Optimum Principem
inde experiri licuit,
quod in domo eius esset Panis.

Bona certa Serenissimus Casimirus Claro-Monti incorporat.

Exi-

Exiguā loci Sacri ille correxit sortē
nihilq; post se reliquit nisi bona.
Inter Religiosorum humiles cellas
Regiam coarctabat Maiestatem
ut soli Deo vacaret,
Vnico contentus angulo
qui totum Orbem Polonum
potestatis Maiestate implebat.
Cunctationi Consiliorum
Serenissimus in Monte Claro
elegit Fabius,
Et ut Rempublicam paci restitueret
hîc providit.
Delphicū Senatûs in Mariano Mōte
videre erat Areopagum
ubi
Directrice Mariâ
Quirites Poloni,
nihil, nisi oracula,
pro Deo & Patriâ loquebantur.
etsi

Ioannes Casimirus magnum consilium cum Senatu celebrat in Claro Monte.

vitio vergētis in peius sæculi fortiora
sunt mala quàm remedia;
Fregit tamen vim malorum
Consilium occultum Sapientis Dei (*Ioannes Geomet. Hymn. 2. de B. M. V.*)
MARIA.
Stella olim nunquam erroneo,
Reges jussa ducere passu,
sed mirâ Metamorphosi,
Rex ipse sibi fit *Breve noctis sydus* (*Michàël Rex dicebatur Breve noctis sydus.*)
dum iret ad Mariam.
Michàëlē vix Lechia videre poterat,
Quia *sydus noctis erat*;
quàm primùm tamen, (*Vota sua B. M. V. reddit.*)
In Claro-Monte sydus noctis stetit,
Orbi Serenissimum apparuit.
Inclinare nonnisi astris concessum,
at
Serenissimo noctis syderi,
Ea inesse videbatur Maiestas,
quæ in sui amorē necessitabat animos.
In Monte Mariano
assu-

assumit corpus Michàél,
Quia
Par Angelis erat.

Vidit attonitus formám Eleonoræ Senatus
Thura cum superis daret
Sacrasq; grato spargeret aras mero,
Et ipse lateri iunctus, inter civiū læta omnia
Incessit habitu, atq; ore lætitiam gerens
Princeps superbo,
Talis emersam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin.

Connubium Rex Michael in C. M. celebrat.

Angelicum fore sperabatur
connubium,
quia Michàélis.
Cana Galileæ,
'Mons clarus erat Michàéli
præsente Mariâ.
Ipse sibi Hymenæum Serenissimus
cecinit Princeps,
quia Michàél.
Olim Gabriel, nunc jam & Michàél
mittitur ad Virginem.
Parens libertatis avitæ cum esset,
vin-

Cor aureum pro voto offert.

vinculum tamen cupit.
Aurea cordis Penetralia
Devovit cælorum Reginæ
Michàél,
ut
Illa ſola cordi ſuo dominaretur.
Ne fortalitium Marianum
ſine Regiâ cuſtodiâ foret,
Iuſtus Princeps cor ſuum
tradidit ad vigilandum.

In corde aureo Votū manu propria ſcriptum repoſuit & obſigillavit.

Supplicem ad Regis
ſæculorum Parentem,
Libellum,
manu Regiâ exaratum
aureo incluſit cordi,
ut
Soli Deiparæ pateret,
quod in corde Regis lateret.
Poſt fata vivere Michàélem
in Monte Claro
crede Lechia,

ubi

ubi *primum vivens degit.* *Cor dicitur primum vivens.*
Lege posteritas
Et Paria aude.
DiplomaRegis dum calamo revolvo,
secretum revelo.
Divulgare mentem Regiam
non metuo;
Cuius ipsa æthera fuêre conscia.
Ipsa se produnt verba,
Regemq; loqvuntur Authorem.
Gravitas verborum
mera edisserat oracula,
si vim verborum perpendes,
Chrysologum pro Rege intelliges.
Stylum cordi suo infixit,
ut
ab ictu amoris Mariani
moreretur.
Ipse sensus verborum
scriptam animare videtur pagellam,
acsi ore Regis loqueretur.

Marianas ut compendiaret
laudes Michàël,
intra margines paginæ,
manum Regiam posuit.
Lege & disce,
& non tam calamum scribentis,
quàm
cor Regis ausculta.

Genuina verba scripti Regij, in corde aureo inclusi & ad S. Imaginẽ appensi.

SAncta Maria Mater Dei, & Virgo Immaculata, Ego Michaël Rex, Divinâ Tuæq; Sanctissimæ gratiæ clementiâ Electus, peccator vilissimus, Tuoq; Sanctissimo conspectu indignissimum mancipium, impulsus peculiari Tibi serviendi desiderio, & fretus pietate Tua commendari coram Benedicto Filio Tuo, & Domino supremo, atq; Iudice meo, protestor me hoc Regnum, quod Soli Deo & ipsius Sanctissimæ miserationi debeo, ita administraturum, ut & Thronum meum Tibi soli tribuam, Teq; meam Dominam & supremam Reginam recognoscam, Tuæq; continuæ protectioni populum hunc à Te mihi commissum recommendem, firmiterq; propono, & statuo me, nunquàm Te deserturum, sed semper Tuum Honorem cum proprio etiam vitæ dispendio defensurum, neq; permissurum ut ali-

quid à me, vel à quovis alio contra Tuum Honorem dicatur vel agatur. Et præcipuè voveo me semper Tuam Immaculatam Conceptionem & puritatem illibatam usq; ad mortem meam propugnaturum. Te itaq; Virgo Sacrosancta per Sangvinem Unigeniti Filij Tui & Domini mei supplex oro, ut me inter alios Tibi devotos, in servum & mancipium perpetuum indignum licet, admittere digneris, omnes actus, cogitationes & successus juxta tuum beneplacitum dirigere, insuper si Tuæ Sanctissimæ visum fuerit voluntati me miserabilem creaturam in abyssum extremæ calamitatis detrudere, & Regem, in perpetuum exulem commutare; quod ex Tuis Sanctissimis manibus, in quibus sortes meæ positæ sunt, ita me profiteor accepturum, ut & hoc, quod nunc gero Tibi soli debeam, Tuisq; Sanctissimis pedibus plenè consignem, & substernam. Adsis itaq; mihi, Regnoq; huic, non jam meo, sed Tuo, in omnibus afflictionibus, insuper non me derelinquas in suprema mortis meæ hora.

Post breve noctis sydus
Manum Congregatoris
Exosculare calame;
Cui

Ioannes III. Rex Polon.

Delphica Senatûs Poloni,
dulce non ſemel oſculum
impreſſerant ora.
Regibus longas eſſe manus
compertum eſt;
nam & hæc benefica manus
in Montem clarum ita protenſa fuit,
ut
etiam à longinquo
pluſquam Sabæa porrigeret dona.
Diffuſum ſerenitatis ſuæ jubar
in unam votivā contraxit lampadē,
Quia
de numero prudentum erat.
Portam Othomanicam
ut faciliùs clauderet
Priùs limina Aræ Marianæ adijt.
Secundum belli eventum
meliùs explorare non potuit,
quàm
dum ſacratiorem conſuluit Tripodē.
Arma

Benefactor Clari-Montis.

Lampadem perpetuò lucentem fundat in Claro Monte Czest.

Indiſceſſu ſub Viennam in hoc S. loco accipit benedictionem.

Arma priùs in lachrymis
ante aram abunde fusis,
quâm in sangvine hostili,
natare fecit,
ac si
Lachrymarum sepiâ
ipsis armis inscribere vellet,
se pro Deo pugnaturum.
Pugnam secum hîc instituit
antequam pugnavit;
Et ut vinceret
seipsum gloriosè vicit.
Tũdebat pectus Regiũ devoto pugno
sibiq; non pepercit
ut hosti etiam non parceret.
Ad plantas Marianas dimisit arma,
ut
â planta victricis pedis eius
disceret fugare hostem.
Impertivit benedictionem
Dominus exercituum armis Regijs,

Orat cum lachrymis & adiutorium implorat.

Summa devotio Regis.

Arma benedici mandat.

Deus assistebat in conflictu.

Eratq; manus Dei cum illo,
ita ut non ille, sed Deus pro ipso
pugnare crederetur.
Secuta est & Diva Parens
in campum belli, suum Præcursorẽ,
& ibi vidit gloriam eius
plenumq; gratiæ & veritatis.
Tota Regis invictissimi
Hostili ad cannas Viennenses
maduerat cruore Purpura,
quam
Aliter siccandam non censuit,
nisi pensili ad aram Marianam igne.
Vstivum in lampade
Sanctior Archimedes
posuit vitrum,
ut
Hostilem cymbam,
medias inter aquas exureret.
Novam in Monte Claro
Pietas Regia
accen-

B. M. V. cui se & exercitum suum commendavit ad victoriam cooperata est

Ad Viennam Regis lucta.

Pietas Regis erga D. Christi Parentem

accendit Vulcaniam,
quæ
Ejaculatorias in Divam Parentem
fumaret in perpetuum preces.
Vnio Christiadum Regumq; corona
Ioànnes,
Belli potens Mavors,
Orientis Victor, & Atlas
Sarmatiæ, Patriæq; Pater;
ignem accendit,
ut
Laurus & Palmas
Herculeo sudore partas
in victimam daret.
Fota oleo dat incensum
in conspectu Mariæ lampas;
ut autem
perhiberet testimoniũ de lumine suo
Rex Ioannes,
Vnctam oleo esse voluit.
Hæreditaria Regiæ Domûs
Erga Divos pietas eti-

Regia lampas de Oleo Olivarum.

etiam cum Sereniſſimæ Sobolis
crevit faſcijs,
Avita ſanctitas.
ad Regiam lampadem Patris
Reluxit in Sereniſſimo Iacobo,

Stemma gentilitium Sereniſsimæ Domûs Regiæ

Qui
ut *ſcutum* pluſquam ſpartanum
Mille clypeis in Mariano pectore
pendulis adnumeraret,

Seren: Iacobus votum orientalibus unionib9 diſtinctum Tertiam Perſonam SSS. Trinitatis repræſentãs dedit in forma columbæ.

Tertiæ Perſonæ Spiritûs S. Symbolũ
è voto addidit.
Monile pretioſũ Divini Pneumatis,
ſub ſpecie columbæ
Sacer Princeps obtulit,
Decebat enim,

Hic exprimitur lampas à Sereniſ: Parente fundata.

ut ad lumina quaſi Februa Patris,
Regius partus,
Etiam pullum columbarum
juxta legis antiquæ pandectas,

Alluditur ad Feſtum luminum in die Purific: celebrari ſolitũ.

In Mariana poneret Arâ.
Tædas Sereniſſimus Parens
accen-

accendit in lampade,
Sponsum, Mariæ, Iacobus
junxit *Spiritum Sanctum*,
&
ne Divini Flaminis Sponsa,
sinè veste nuptiali foret,
Carbasa exuit Princeps,
ut
Marianas investiret Aras.
Quibus Regalis sors nascendi unà,
Illis, in Divos, non dispar cultus;
par Iacobo Alexander,
Macedone maior,
ex infantilibus plane crepundijs
Princeps minorennis,
nodum contorsit Gordium,
ut se
Perpetuo Mariæ servitio
vinctûm daret.
Argenteam Alexandri statuam
Serenissimi hîc deposuêre Parentes,
Ee nulli-

Spiritus S. Sponsus Mariæ.

Pretiosum paludamentũ Seren: Iacobꝰ in ornamentum B. M. V. consecravit.

Serenissimus Princ: Alexander in infantili ætate à Serenis: Parentibus præsentatur in Claro-Monte & Divæ Genitrici commendatur.

nullibi enim meliùs
Sacri Penates
Dignam semper obelisco
Alexandri Statuam
collocare poterant,
quàm in saxosa Clari Montis
Pyramade.

Statua Serenissimi Alexandri argentea offertur.

Constantinus Princeps,
Affabrefactas subtili artis scalpro
Incarnati cunas
Argento fusas
In sinum Divæ reposuit Matris,
demonstraturus
se statim à cunabulis
servire Mariæ.
Turbulento Lechiæ statui
Angelus pacis futurus Constantinus
cunas Christi movit
in Clarum Montem,
ut dictante Maria
A cunis Verbi, in terra

Pax

Pax bonæ voluntatis
discerentur.
Eoos benè imitatus est Reges
Constantinus;
nam
& novum, cum muneribus
in Monte-Claro
Cunis Christi, invenire præsepe,
& faventem ibi experiri licuit stellā.
Quot demū Apostolicæ Sedis Maiestas
Orbi Polono
Missos dederat Nuntios,
Tot Legatos ad Virginem
Mons Clarus spectavit.
Etiam exinde Monti Mariano
metiri liceat gloriam,
Quem Nuntiū ad Arā Thaumaturgā
sacrificantem attonitus vidit,
Brevi Clementem VIII
Ex Cathedra Petri Tonantem
audivit.

Reges Orientales cunas Christi visitantes imitatur Princeps Constantinus

Multi Nuntij Apostolici in Claro-Monte B. M V. visitarunt.

Nuntius Apostolicus celebrat ad Arā Marianam qui ex Nuntio Apostolico Regni Pol. fit Pont. Clem. VIII. dictus:

Mirare calame
ex ſevero Sacræ Themidis
Orbis Poloni Iudice
Inſtante Mariâ
Fit Clemens Pontifex.
Speculum Iuſtitiæ erat
Primùm Apoſtolicæ Sedis Nuntius
pòſt Clemens VIII.:
Ita enim Sacro Nũtiaturæ Tribunali
cordi eſt jurium æquitas,
ut:
Malit in virtutes ſuas vibrari fulmina
quàm non plectere vitia.
Vnica Apoſtolici Areopagi ſtuba
tenet & tenebit calentibus dexteris
recẽti trepidos caſu lapides,
quidquid inimicum cælo,
fœcunda malorum gignent tempora,
ad eoſdem
velut ad fatale Tarpeij Saxum
allidere parata.

Pon-

Pontificijs Clementis VIII. clavibus
claude Arcæ fæderis Elogia
Calame;
sed
Abyssus miraculorum cum sit,
nunquàm laudari sufficit. S. Damasc. Orat. 1. de Nat. B. M. V.
Esset miraculum in calamo,
si
de miraculis Marianis
satis esset dicere.
Circumscriptivum Mariæ encomijs
dare locum absit,
Quantitas enim dignitatis Marianæ
non molis, sed perfectionis
quantitas est.
Nec *Definitivus* Mariano Honori
competit locus,
cuius sanctimonia
plusquàm Angelica:
operi tamen finem impono,
Licet in ipso fine vix incipio.

Inde enim ultima periodus
erui non poteſt,
unde nova dicendi,
ſemper creſcit materia.
Quid ages calame?
Portum quæris,
S. Bonav: in Stim. D. Am. & nondum medium æquor traiecisti?
Iam vela componere ſtudes,
Et abyſſum Sanctæ liberalitatis
vix guſtaſti?
Quid metiri cogitas?
S. Chryſo. in Hor: An. *abyſſum immenſarum,*
Dei perfectionum
Quæ
Ita humanam abſorbet mentē,
Profundum incogitabile Maria. Buteo in Hym. ut conceptus non ſufficiat,
qui ultimam valeret ponere lineam.
Tot encomiorum effundere
videbaris fluenta,
cùm tamen nonniſi
Guttam mari affudiſti.
Audi

Audi calame,
Et
si *ignoras* post vestigia abi,
Os Ecclesiæ Maria nuncupata,
Ipsa sibi
Laudis Thema specialis esto.
Tace calame
Panegyris salutaris
Reconciliationis Maria
pro Domo sua peroret.

Richardus à S. Lauren.

Proclus de Nat. B.M.V.





